Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Wendin

Consvetvdinvm Fevdalivm Dispvtationes XII. Ex textu iuris feudalis, adhibitis optimis quibusq[ue] interpretibus præsertim antiquioribus. Jn illustri & celeberrima Megapolensium Academia, quæ est Rostochij, in gratiam studiosæ iuuentutis propositæ

Rostochii: Myliander, 1589

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0001



~~XXXI. VIII. 8.~~

~~J. F.~~
~~27. 5.~~

J. g. 1027.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1744339716/phys_0002

CONSVETVDI-
NVM FEVDALIVM
DISPVTATIONES XII.

Ex textu iuris feudalis, adhibitis optimis quibusq; interpretibus præsertim antiquioribus.

In illustri & celeberrima Megapolensium Academia, quæ est Rostochij, in gratiam studiosæ iuuentutis proposita

AVTORE

CHRISTOPHORO VVENDINO J. V. D.





ROSTOCHII
Excudebat Stephanus Myliander.
ANNO
CIↃ IↃ XIC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0005



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1744339716/phys_0006

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

VDALRICO DVCI MEGAPOLENSI, PRINCIPI HENETORVM, COMITI SVERINI, DOMINO ROSTOCHII & Stargardiæ, Domino clementissimo.

FEVDALES consuetudines Illustrissime princeps, à Longobardis primum institutæ, à Romano Imperio ideò magno consilio vsu receptæ, & postea à Conrado, Henrico, Lothario, & Friderico Imperatoribus, nouis pulcerrimis constitutionibus, passim in iure feudali rutilantibus, adauctæ sunt, vt Romanæ Reipublicæ in dubijs rebus suæ constarent copiæ, quæ nul-

la certiori & paratiori via haberi atq; explicari potuerunt, quam si certus equitum & fidelium esset numerus, qui vrgente bellorum necessitate patriam, parentesque patriæ in prælio periclitantes ita fortiter defendant, & iuuent, vt quisque dominum suum sub pœna amissionis feudi, in ipso prælio non mortuum, nec ad mortem vulneratum non dimittat, idque propter intimam & reciprocam fidei obligationem, qua veluti quoddam coniugalis fœderis consortium inter dominum & vasallum in tantùm intercedit vt etiam feudi refutatione eueniente, illibata & immota persistat: Hoc arctissimum, & repagulis legum pulcerrimè condecoratum militaris fidei vinculum, vt in omne æuum firmiter conseruaretur, Fridericus II. Imperator Hugolinum Bononiensem iuris antecessorem feudales consuetudines nonæ Nouellarum Iustiniani collationi subijcere, & publicè interpretari iussit. Cumque Illustriss-

lustrissime Princeps iam aliquot annos in hac Academia sub præsidio & tutela Illustriss. Celsitudinis tuæ vixerim, & disserendi ac respondendi de iure, aliaque studiosæ legum iuuentuti vtilia exercitia, ea qua debui ac potui diligentia & fide proposuerim, & coluerim, atque superiori hyberno semestri amplissimam iuris feudalis materiam singulari tractatu methodicè explicatam, Typographo imprimendam tradere decreuerim, hasce duodecim feudalium disputationum theses præmittere atque sub auspicio & patrocinio nominis tui in publicum emittere volui, vtque Illustriss. Celsitud. tua in probando hoc meo difficili & laborioso instituto, ea qua solet æquitate & beneuolentia vtatur, ac suo patrocinio me tueatur, iterum atq; iterum submisse rogo: Hoc ipso Illustriss. Celsitud. tua ad difficiliores labores suscipiendos me excitationem reddet, atque ego tanti beneficij æternam memoriam re-

ligiosè conseruabo, ac Deum oro, vt Illustriß. Celsitudini tuæ vitam longæuam & incolumem atq; gubernationem tranquillam & diutißimè florentem clementer tribuere & largiri dignetur. Datæ in Illustriß. Celsitud. vrbe Rostochio, Idibus Maij, Anno 1589.

Illustriß. Celsit. T.

Subiectißimus

CHRISTOPHORVS VVENDINVS POMERANVS I. V. D.

ELEN-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0010

ELENCHVS ANTIQVIORVM ET SELECTISSIMORVM IVRIS FEVDALIS INTERPRETVM, QVORUM autoritate subiectæ theses, post textum, potissimum fulcitæ sunt.

BVLGARVS ET PILEVS, iuris feudalis textibus primum summas & breuia argumenta applicauerunt, Hugolinus & Coradinus, Simon Vincentius, Iacobus Gosfredi addiderunt quædam glossemata, quæ Iacobus Columbi de regio perfecit.

ANDRAEAS DE ISERNIA quem vulgus optimum aurigam, principem, & regem omnium feudistarum, atq; Neapolitani Euangelistam appellant, & de quo Bartholomeus Camerarius inquit: Fuerunt ab eo tempore quo vixit Andreas de Isernia in hoc regno (puta Neapolitano) & regno Siciliæ ad minus sexcenti peritissimi viri, qui non passi fuissent eundem Euangelistam nominari, si talia non mereretur, nec ipsum aurigam in feudis, acutissimi ingenij ille Franciscus de Aretio appellaret, nec summum feudistam, cæteri confiterentur.

IACOBVS DE BELVISO consiliarius Regis Roberti, Bald. in L. 1. C. de dotis promiss. libros feudorum oclies publicè professus & interpretatus est, quemadmodum ipse fatetur in c. 1. §. notandum. De his qui feudum dare poss. cui & ego in textibus iuris feudalis explicandis primas ita tribuo, quòd omnia perbellè et acutissimè perspexerit.

BALDVS DE VBALBIS Perusinus, postquam micas de ore sapientum (quemadmodū ipse in præludijs commentariorum feudalium loquitur) ruminauit, & tempus quadraginta septem annorum continua lectione euacauit, in ornatis-

natißimo Papienſi gymnaſio primariam profitendi cathedram poßidens, in vſus feudorum diligiſſimè ſcripſit.

IACOBVS ALVAROTTVS PATAVVS, qui anno 1439. floruit ſub Cardinale Zarabella & Bartholomeo de Saliceto plurimùm profecit, vt poſt ſuſceptas Doctorales infulas, ſua in iure feudali edita commentaria venerandæ Paduanæ vniuerſitati dedicauerit.

IACOBINVS DE S. GEORGIO viginti-quinq; annos in gymnaſio Thaurinenſi legendi exercitio deditus, Illuſtriſſimo principi ac Duci Sabaudiæ tractatum feudalem, ſecundum verba inueſtituræ compoſitum, pro debito ſinceræ gratitudinis nuncupauit.

BARTHOLOMAEVS CAMERARIVS viginti quatuor annos iura feudalia publicè interpretatus fuit, & in libris Iſerniæ reſtituendis totum triennium conſumpſit, ſingulis diebus ſedecim horis huic operæ impendendo, vt de ſe ipſo refert in §. præterea ducatus verſ. hactenum 795.

IOHANNES BAPTISTA CACCIALVPVS Bononienſis à quibuſdam gener Bartoli falsò exiſtimatus, plurimas repetitiones, Item in c. 1. De cognitione feudi partes ſeptem ſcripſit.

PETRVS RAVENNAS eques auratus commentaria in conſuetudines feudales Maximiliano primo dedicauit.

VDALRICVS ZASIVS Germaniæ Iuriſconſultus celeberrimus, trigeſimum agens annum iura primum tractare cepit, & plurimos in omnibus iuris partibus ſuperauit.

Denicq; ne recentiorum nomina ſilentio inuoluantur, commentarij Dn. Eguinarij Baronis, Franciſci Curtij, & Franciſci Duareni, Iacobi Cuiatij, Iacobi Kleiſt, Matthæi VVeſenbecij, Hartmanni Piſtoris in Seuſelitz, & denicq; Iohannis Borcholten præceptoris mei magno honore & amore perpetuo colendi, adhibiti ſunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0012

DVCE & AVSPICE CHRISTO.

EX CONSVETVDINI-BVS FEVDALIBVS DISPVTATIO I.

De Feudi definitione, eiusq; substantialibus & origine ex c. 23. §. fin. In quibus causis feudum amittatur, & c. 1. §. & quia videmus, De his qui feudum dare possunt: in qua

Præside

CHRISTOPHORO VVENDINO *J. V. D.*

Respondebit

IACOBVS CROGERVS
Buxtehudensis.

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri.
CIↃ IↃ XIIC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0013

LEgum Romanarum studioso præclaram, illustrem & nobilem consuetudinum feudalium materiam consideranti, vltrò alacre eius cognoscendæ desiderium succurrit: Nos vt confusas nouorum casuum decisiones suis principiis congruenter applicemus, vniuersum ius feudale sequentibus sex partibus,

1. De feudi definitione, eiusq; substantialibus, & origine.
2. De natura & diuisionibus feudi.
3. De causis & modis quibus & qualiter feudum acquiratur.
4. De jure feudi, & de causis quibus feudum amittatur.
5. De Judicijs, & iudice competente in feudalibus controuersiis.
6. De actionibus domino, vasallo & agnatis vltrò citroq; competentibus.

In hac & proximis disputationibus ordine & methodicè proponemus. Omnis scientiæ & sapientiæ thesaurus Christus, in cuius nomine ad omnes actus semper progredimur, cœlesti fauore efficiat, vt & hanc iuris feudalis, ex armis & legibus mixtam scientiam ad sui gloriam feliciter perlustremus.

QVemadmodum in conflictibus, & militarium consultationum difficultatibus, exercitatione & perpenso iudicij ordine nihil vtilius, nihilq; fœlicius; Ita quoq; in scopulosis feudalium consuetudinum velitationibus, ordine incoandis, disputationibus promouendis, discentium studijs nihil est efficacius, quamobrem propitia diuinitate à definitione feudalem institutionem exordiamur.

Thesis I.

FEudum, quemadmodum Obertus de Orto definit, est beneficium illud quod ex beneuolentia ita datur alicui, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: vsusfructus vero illius rei ita ad accipientem transeat, vt ad eum hæredesq; suos masculos, siue fœminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat: ad hoc vt & ille & sui hæredes fideliter domino seruiant: siue seruitium illud nominatum quale esse debeat, sit expressum, siue indeterminatè sit promissum.

2. Etsi hæc feudi definitio à doctissimis quibusq; tàm veteribus quàm recentioribus, primum

mum περιστολίας, deinde quoq; imperfectionis, atq; improprietatis arguitur, nam & veteres Iacobus Ardizo, Beluisius, Hostiensis, Iohannes Rainaldus, & recentiores Franciscus Duarenus, Iacobus Cuiatius, & alij quis q; pro suo ingenio alias atq; alias definitiones effingere & formare satagunt, attamen superior Ortensij nostri definitio tàm accurata verborum congruentia, quàm exactissima rerum proprietate pulcerrima—, prius cognoscenda, quam reprehendenda est.

3 Sed vt dispersam atq; latissimè dissipatam feudorum syluam in proposita definitione artificiosè constrictam, sed vulgò negligenter excultam, veluti nobilem & locupletem cauenam, duntaxat per transennam explicemus, probè sciendum est ad substantiam omnis omninò feudi requiri, vt quid à domino fidei gratia detur, & à Vasallo fidei nomine accipiatur.

4 Hinc datur existimandi copia feudum non tam à fœdere, vel longobardica & germanica voce pfeden hoc est, hostilitate, vel etiam à germanico fäden siue pascendo, quàm à fidelitate, vel potius fide appellatum esse quasi fidum.

Et

5. Et licet non desint qui auctoritate magis, quam rei veritate contendant, feudum non esse contractum, sed merum ius quod per inuestituræ contractum constituitur, vel speciem personalis seruitutis, attamen Bartolus & communiter Dd. rectè docet feudum esse contractum.

6 Sed vtrum feudum sit contractus nominatus, an verò innominatus magni momenti, & cognitu admodum necessaria quæstio est, nos contra Bartolum, Zasium, Iulium Clarum, & Oldendorpium firmiter statuimus esse contractum innominatum.

7. Idq; vel ex definitione constat vbi Ortensius inquit, Feudum est beneficium, quod ita datur, ex quibus verbis constat, feudum non constitui pacto, sed datione.

8. Dare verbum communiter existimatur propriè significare dominij translationem, quod ideò concedendum non est, cum pro natura contractus modò traditionem, modòdominij translationem significet, quæ sigmficationis diuersitas ex orationis continuatione facillimè dignoscitur.

9. Hoc loci dare verbum significat non nudam vsusfructus, sed possessionis translationem,

quam Interpp. euidentioris intelligentiæ causa vocant vtile dominium. Nam Vasallus non possessionem duntaxat, sed etiam dominium vsusfructus adipiscitur.

10. Porrò etsi quicquid facimus alienam fidem secuti in fide debeat consistere, & graue sit fidem fallere, attamen feudum per excellentiam ideò dicitur in fide consistere, quod dominus Vasallo committat corpus suum, bona, & honorem.

11. Ex diuerso quoq; Vasalli respectu feudum rectè dicitur à fide, quod Vasallus primum debeat à malo id est à damno domini abstinere, hoc est domino neq; suis possessionibus, neq; suo consilio, & corpore nocere, sed ei fidem non tantum consilio, sed & corporis & bonorum auxilio præstare, & hoc est quod textus in c. 6. de for. fidel. inquit, qui domino suo fidelitatem iurat sex ista in memoria semper habere debet: incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile.

12. Hinc beneficiarij dicuntur fideles, & vasalli dicuntur quasi vades & obsides domini.

13. Retrò dominus quoq; in his omnibus vicem fideli suo reddere debet, hoc est eandem fidem ~~litatem~~ præstare, quod si non fecerit meritò censebitur malefidus.

Sed

14. *Sed etsi beneficium quandoq; sine fidelitate dicatur, & quædam feuda ita dentur, vt pro his fidelitas non sit præstanda, attamen fides est de substantia omnis feudi.*

15. *Atq; hac substantiali fidei nota feuda ab allodijs perpetuò dignoscuntur.*

16. *Allodia sunt quæ proprietatis iure habentur, beneficium enim opponitur proprietati hoc est allodio.*

17. *Etsi quæ de allodij etymologia varia & multiplicia adferuntur, potius in diuinatione, quam rej veritate consistunt, interim magis placet, ut allodium siue allaudium dicatur quasi sine laudio vel laudatore, quod allodium nullum habeat autorem vel dominum, quem teneatur laudare, aut superiorem recognoscere.*

18. *Etenim laudare prisca lingua significat autorem suum nominare, hinc corrupta voce Alaudium dici cæptum est.*

19. *Feuda verò dicuntur à fide quam vasalli dominis, & amplius plerunq; in dominij recognitionem, vel hominium, vel mueslituram, vel ἀποδεκλησὶν debent.*

20. *Prædicta duo requisita puta datio & fi-*

des sunt de substantia omnis feudi, & licet varia reperiantur feudorum genera, attamen nullum est feudum quod non perpetuò hisce duobus vinculis arctissimè colligatum atq; vnitum sit.

21. Porrò hæc perpetua & mutua fidei domini puta, & vasalli integritas & innocentia ambitu tergeminæ proprietatis, veluti sex fidei satellitibus vndiquaq; circumsepta et stabilita est.

22. Ex parte domini consistit feudi proprietas in gratia, in re immobili, & deniq; in proprietatis ab vsufructu separatione; Ex parte vasalli proprietas feudi consistit in fructuum acquisitione & successionis propagatione, & deniq; fidelitatis & seruitiorum onere.

23. Atq; hoc est quod Baldus eleganter & concinnè dixit: Feudi institutio est gratiosa, materia ponderosa, forma rigorosa, deinde vasalli respectu feudi acquisitio est fructuosa, propagatio est generosa, recompensatio est onerosa. Hæc sex requiruntur ad verum & proprium feudum hoc est ad absolutam feudi perfectionem.

24. Est itaq; causa feudi gratia domini & fructuosa acquisitio vasalli, materia est res immobilis, quæ in perpetuũ ad hæredes transit, forma

ma vero proprietas penès dantem remaneat, & vasallus fidelitatis & seruitiorū onus sustineat.

25. Hoc tergeminorum satellitum comitatu militaris fidei vinculum vrgente bellorum necessitate singulari prouidentia & antiquis moribus illustrium Heroum veluti triarijs militibus legumq; repagulis adeò pulcrè condecoratum est, vt modò Itali, modò Galli, & demq; Græci, tantum iuris militaris honorem sibi potius vindicare, quam suis autoribus tribuere malint.

26. Si antiquum rei Romanæ statum consideraverimus juris feudalis primordia à patronis & clientulis nata videbuntur.

27. Etenim patroni clientibus suis autoritate, & dignitate præsunt & clientes suos circa se habent, sic prouinciales & socij populi Romani se vel senatui, vel proceribus Romanis veluti patronis dederunt, vt ab ijs protecti pace & tranquillitate fruerentur.

28. Posteà cum Imperatori, & in eum omne ius imperij translatum esset, milites prætoriani largitionibus corrupti, Imperatorum eligendorum & remouendorum autoritatem sibi vsurpauerunt, hinc cum contentiosa pecuniarum lar-

gitio facilè exhauiretur, ad præfecturas, officia publica & prædia ab hostibus capta peruentum est. Atq; ita non tantum patroni, sed & milites limitanei atq; cohors prætoria ex ista laude sibi quid decerpere conantur

30. Porrò si Francisco Connano credimus feudorum mores à Gallis ad Germanos, Italos, Hispanos, aliosq; Europæ populos venerunt, qui suæ opinationis argumentum habet ex libro 3. Commentariorum Iulij Cæsaris, cui soldúriorum appellatio inserta est.

31. Sed posteaquam imperium per Constantinum Magnum in Græciam translatum est, in locum veræ seruitutis, ad instar Heroum Lacedæmoniensium, posteriorum Romanorum colonaria & adscriptitia, hominumq; conditio emersit.

32. Hominum passim in Græcorum Imperatorum constitutionibus extat mentio, & siue fuerint homines senatorum siue augustissimæ domus, Græci, eosq; secutus Iacobus Cuiatius vsus feudales ad homines retulit.

33. At verior est sententia existimantium, vsus feudales ex moribus & legibus Lombardorum descendere. Nam

34. *Nam tempore Reipub. & antiqui imperij Romani omnes prouinciæ in patrimonio populi, et deinde ex parte in patrimonio principis fuerunt, sed postea mutata imperij forma prouinciæ in feuda commutatæ sunt, vt nec lege & delectu ad tempus præscriptum, sed gentilitia facta, successione hereditaria transferantur.*

35. *Atq; Ducatus, Comitatus, Baroniæ, quæ muneris & administrationis fuerunt, in patrimonij nomina conuersa sint.*

36. *Sed interim cum nihil tam nouũ sit, quod non habeat quædam antiquitatis primordia, non diffitemur etiam iuris feudalis principia ex antiquis temporibus originem traxisse.*

37. *Quod vel ex eo comprobatur cum Gerardus autor feudalis, et J. Consultus Mediolanensis doceat primã feudi originẽ habuisse speciem precarij simplicis, postea annui, deinde vsusfructus, et porrò successionis ad vnum ex filiis cui dominus hoc beneficium vellet confirmare &c.*

38 *Hinc cum natura rerum ita comparatum sit, rem ad desuetudinem inclinantem alia forma retento prisco legis nomine retractari, effectum est ut vasalli dicantur clientulj quemadmodum*

modum tribus mutato numero, & emancipationis nomen imaginarijs venditionibus dudum iam ſublatis, manet.

39. *Verumenimuero ad prædictam Connani adſertionem quod ſpectat, vel ex gloſſæ, vel Andreæ de Iſernia teſtimonio conſtat Gallos non ſeruare iura feudalia, neq; ciuilia, & licet non incognitum ſit quatenus iura ciuilia à Gallis admittantur, interim tamen inde plus quam manifeſtum eſt, Connani adſertionem erroneam eſſe. Hæc de definitione & ſubſtantia omnis feudi.*

40. *Proximum eſt vt naturam feudi indagemus, quæ res cum ampliorem tractatum deſideret, differenda eſt, interim hoc loci*

Coronidis vice quæritur.

1. Vtrum ſubſtantia à natura rei differat? Cõmuniter Interpp. ſubſtantiam contractuum dicunt cauſam ex qua primum contractus natus ſubſiſtit, & ſine qua conſiſtere nequit, ſed ius ꝙ lex naturæ iam ſubſiſtentis contractus tribuit, vocant naturam, Iacobus Cuiatius hanc diſtinctionem falſam pronunciauit, nos ex contractuum, obligationum, & actionum materia, eam veriſsimam demonſtrabimus.

2. Vtrum feudum ex homagio probetur, & quomodo homagium item ius aduocatiæ, quemadmodum dicitur, à iure feudali atq; iuriſdictione differat?

3. Vtrum & qui Vaſalli domino ab hoſtibus capto, pro eo obſides dari & conſtitui poſsint?

DVCE & AVSPICE CHRISTO.

DISPVTATIO II.

DE NATVRA ET GENERIBVS FEVDORVM EX c. 7. De feudi natura. c. 18. De Feudo non habente propriam feudi naturam, c. 33. De consuet. recti feudi, & deniq; c. 81. De impropriis feudis quæ auferuntur dantis arbitrio cum materijs concordantibus vniuerso iure feudali: in qua

Præside

CHRISTOPHORO VVENDINO *I. V. D.*

Respondebit

ERASMVS REVZIVS.

ROSTOCHII

Stephanus Myliander excudebat.

ANNO

CIↃ. IↃ. XIIC.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0025

Συνέχεια.

NAturam feudi exploraturos primum omnium de ſubſtantiæ & naturæ differentia certos eſſe oportet: eaq́; vel ex eo comprobatur, quod quædam feuda dicantur habere propriam, quædam verò impropriam feudi naturam. At ſubſtantia cuiusq́; rei vnica & perpetua, natura verò, conſuetudinis inſtar, varia & multiplex eſt, quod ex varijs ſubſequentibus feudorum generibus euidenter apparebit.

Theſis I.

Natura feudi eſt ius, quod conſuetudo naturæ iam ſubſiſtentis feudi tribuit.

2. Feuda quædam habent propriam feudi naturam, nonnulla impropriam, compluria non propriam, vel non impropriam.

3. Propriam naturam habent feuda, quæ ſupra dicto ſex fidei ſatellitum comitatu condecorata ſunt. Impropria quæ contrà.

4. Feuda non habentia propriam, vel non impropriam feudi naturam ſunt, quæ iure feudi cenſentur.

5. Hæc diuerſa feudorum genera ſeparatim tractantur in quatuor ſubiectis capitulis. c. 7. de feu-

De feudi natura, c. 48. De feudo non habente propriam feudi naturam, c. 33. De consuetudine recti feudi, & denique in c. 81. De feudis improprijs, quæ auferuntur dantis arbitrio.

6. De qualitate feudi recti cuius aliquoties in consuetudinibus feudalibus mentio habetur, discrepantes extant Dd. opiniones. Nos existimamus feudum rectum illud dici, quod iure et consuetudine feudi habetur, atque à iure rectum dici, quòd iure feudi censeatur.

7. Veluti est feudum, quod acquiritur quasi inuestitura, tempore, & successione, præcipuè in Ecclesiastica & feminea persona.

8. Veri & proprij feudi natura est, 1. quod sit beneficium Principis, vasallo inuestitura collatum, 2. quod consistat in re immobili. 3. quod ita detur alicui, vt proprietas rei beneficiatæ penes dantem remaneat. 4. vt vsusfructus rei beneficiatæ transeat in accipientem. 5. quod in perpetuum ad heredes suos masculos pertineat. 6. quod consistat in onere fidelitatis & seruitiorum, vt vasallus domino fideliter seruiat.

9. Ex variè discrepanti prædictarum sex proprie-

prietatum vsurpatione adinuentæ sunt diuersæ feudorum distinctiones, quarum Franciscus Curtius. II. Jacobus Ardizo. IV. Hostiensis VI. Iohannes Reynaldus. IIX. Beluisius: X. Baldus: XI. Innocentius XII. Iacobinus de sancto Georgio: XIII. Petrus Rebuffus: XX. Jacobus Aluarottus: XXII. & alij atq; alij plures vel pauciores enumerant.

10. Iohannes Thomas de Marinis ex densa feudorum sylua collegit centum & decem feudorum genera: nos existimamus ex omnibus diuisionibus vix vnam esse, quæ ex arte scriptam feudi diuisionem contineat.

11. Et in summa magis vnum genus est proprij feudi; improprij verò & eorum, quæ iure feudi censentur, infinita; quæ ad prædictas feudi proprietates, secundum superiorem distinctionem commodissimè referri poterunt.

12. Estq; de improprijs feudis generaliter & probè sciendum, eam duntaxat mutare naturam, quæ nominatim reperitur in ijs alterata, in cæteris propriam feudi naturam retinere.

13. Et quia prima veri & proprij feudi natura est, quod sit eiusmodi beneficium, quod ex

beneuolentia Principis per inueſtituram alicui confertur, facilè intelligimus, tale feudum, quod ex amore, & honore atq; beneuolentia Principis proficiſcitur, propriè feudum dici.

14. *Sed quia feudum quod pecuniæ interuentu acquiritur, amore & beneuolentia domini acquiri negatur, palàm eſt, feudum emptitium non eſſe proprium feudum.*

15. *Nec obſtat quod Franciſcus Sonsbeccius, pro contraria opinione, quod feuda emptitia ſint propria feuda, adfert, id quoq; beneficium eſſe, quòd omninò gratuitum non eſt; quia ſi feudum merè gratuitum fuerit, non eſt proprium feudum, quod vel ex definitione feudi, ibi fideliter ſeruiat, & aliàs plus quam notiſſimum eſt.*

16. *Sed etſi in feudo quid gratitudinis loco datur, nihilominus eſt feudum proprium, quòd ea, quæ ex poſt facto fiunt, differant ab ijs, quæ dant cauſam contractui: atq; ex mandato, aduocatia, depoſito, donatione propter nuptias, & alijs pluribus iuris ciuilis partibus cognitum eſt, ſubſequens ἀντίδωρον non mutare naturam contractus.*

Et quam-

17. *Et quamuis dominus in concessione feudi, interuentu iusti pretij facta, dicat, se Vasallo hoc feudum donare, nihilominus est feudum, non habens propriam feudi naturam, quemadmodum, post alios, Iacobus Kleist ex Alciato rectissimè concludit.*

18. *Neq; indecenter ex Beluisio admonendi sumus, feuda à domino non emi, sed à Vasallo, quod donum à vilissimo collatum, parem remunerationem annexam habeat.*

19. *Sed etsi emptitium feudum non habet propriam feudi naturam, attamen iure feudi censetur, & rectè feudum dicitur, atq; in omnibus alijs placitis feudalibus, (vt Zasius inquit) rectam & simplicem feudi naturam retinet, &, quemadmodum Molinæus, & Iulius Clarus loquuntur, secundum omnes iuris feudalis interpretes est verum feudum, regulaturq; secundum omnes leges, & consuetudines feudales.*

20. *Amplius quoq; ad propriam feudi naturam requiritur, vt quis à Principe, vel eius Capitaneo inuestiatur.*

21. *Quod à Principe confertur, plerumq; est regale. Estq; feudum regale, quod milita-*

rem dignitatem annexam habet, & ab imperio alicui confertur, veluti Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Das vom Heiligen reich zu lehen gehet/ vnd wirdt genennet ein Fahnlehen.

22. Etenim Imperator in vsibus feudorum plerumq; dicitur Rex κατ' ἐξοχὴν, quòd omnes Reges, veluti Polonicus, Bohemicus, Siculus, Hispanicus, & alij, imperatoriam maiestatem superiorem recognoscant.

23. Ducum, & Marchionum dignitas, Carolo Magno Imperatore his, qui principis ipsius nomine administrationibus præerant, conferri solita, in proprij iuris titulum transiuit.

24 Comites quoq; et ipsi perpetui hodiè sunt, & proprij iuris titulo gaudent.

25. Atq; his proximi sunt Barones, qui moribus Germaniæ, comitibus dignitate pares sunt.

26 Et illud feudum, quod à capitaneis Regis, vel eius valuasoribus rursus alij impenditur, propriè feudum dicitur, & feudum quod à valuasinis in alios transfertur iure feudi censentur.

27 Cæteri qui nouiter à capitaneis, vel à valuasoribus acquisierint, plebeij nihilominus sunt,

sunt, vt Ortensius loquitur, neq; vsum feudi acquirunt.

28. Pedagium est dignitas propria nobilium, & eorum, qui iure nobilium fruuntur.

29. Cæterum Imperatori confertur Pontifex Romanus, Episcopi cæteris principibus.

30. Secunda principalis veri & proprij feudi natura requirit rem immobilem, quæ est in commercio hominum.

31. Etenim Obertus inquit, feudum nisi in rebus soli, aut solo cohærentibus, aut in ijs, quæ inter immobilia connumerantur, consistere potest.

32. Res soli sunt prædia, siue vrbana, siue rustica: estq; solum pars ædium, quæ alias dicitur area, quod inædificatur dicitur superficies.

33. Rustica prædia dicuntur fundi, quorum vtilitas consistit vel in agendo & in specie dicitur ager, vel in mero vsu, & dicitur possessio.

34. Res solo cohærentes sunt fructus pendentes. Sic & Molendina solo cohærentia in feudum dari possunt, sed aquis natantia pro mobilibus habentur, item à ventis agitata.

35. Granaria quoq;, quæ ex tabulis fieri so-

lent, ædium sunt, hoc est, ædificijs annumerantur, si stipites eorum in terra defossi sunt, quod si supra terram sunt, rutis & cæsis cedunt.

36 Inter immobilia connumerantur seruitutes: nam etsi per se consideratæ, tertiam quandam speciem constituunt, attamen vbi necesse est, vt reponantur inter alterutra, plerumq; immobilibus annumerantur.

37. Notum est habitatione concessa, non anni, sed vitæ tempus contineri sic, quoq; feuda habitationum more accipientium finiuntur, nisi aliud specialiter cautum sit. Mansum siue mansio est prædium quo familia manet. veteres quoq; in hortis habitabant, easq; amænas hortorum habitationes vocabant diætas, quod plurimis ff. texibus notissimum est.

38. Annui reditus quoq; inter immobilia numerantur, cumq; annui reditus fructuum instar habeant, quod singulis annis renascuntur, rectè quoq; in feudum dantur.

39. Tertia veri feudi propria natura consistit in his verbis, ita datur alicui, vt proprietas rei beneficiatæ penes dantem remaneat.

40. Quod si quis inuestitus sit, vt habeat

iure

iure proprio, habet etiam directum dominium, atq; ita est feudum, quod non habet propriam feudi naturam. Huiusmodi feudum dicitur esse regnum Siciliæ, quod, vel Iserma teste, in pluribus Ecclesiæ Romanæ processibus, peculiare patrimonium Romanæ Ecclesiæ dicitur.

Coronis I.

Supra dictum est, quomodo natura à substantia distet, nunc videamus vtrum forma differat à natura? Nos dicimus quod sic: Forma enim est qualitas, quæ contractui dum incoatur, incontinenti pactionibus attribuitur.

II.

Nobilis controuersia, anno M. D. LVIII in iudicio Cæsareo, inter Illustrissimum Principem & Dominum, Dn. PHILIPPVM, Landtgraffium Hessiæ, Comitem in Catzenelpogen &c. actorem, & Nobiles Christophorum Georgium, & cæteros VVolfios à Gudenbergk reos conuentos, in puncto semissis ditionis Itter, agitata fuit. Aduocatus Landtgraffij, actione præscriptis verbis, beneficium, quod ab initio sub pacto luendi datum fuit repetijt. Rei conuenti obijciunt, hoc pactum in posterioribus

inuc-

inueſtituris ab anno M. CCCC. LIX. ſemper omiſſum. Aduocatus Heſsicus contrà inquit, virtutè huius clauſulæ: Auff maß vnſer Eltern ſeligen Brieffe/ clärlich dauon melden vnd außweiſen. *Quæritur iam, vtrum prædicta actio exceptione nouationis, vel nouæ inueſtituræ, an verò præſcriptione potiùs elidatur?*

DISPVTATIO III.

DE FEVDO NOVO, PATERNO, ET ANTIQVO; ITEM DE FEVDO LIGIO, GVARDIÆ, GASTALDIÆ ET FRANCO.

Ex c. 12. de fratrib. de nouo benef. inueſt: cum c. præcedente, & c. 14. De vaſallo decrepidæ ætatis qui feud. refut. c. 2. De feudo Guard. & Gaſtald. & ſimilibus.

in qua

Præſide

CHRISTOPHORO VVENDINO *J. V. D.*

Reſpondebit

ANDREAS MEIENREIS Aelbingenſis Boruſſus.

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri.
CIↃ IↃ XIIC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0037

Diximus quomodo feudi proprietas ex parte domini consistat in gratia, in re immobili, & denique in proprietatis ab usufructu separatione: consequens est vt ad eas proprietates, quæ ex parte vasalli originem trahunt, transitum faciamus.

Thesis I.

IN communi iure frequens est ususfructus à proprietate separatio, sed feudorum natura hoc præcipuum habet, vt cum usufructu simul possessio in beneficiarium transferatur.

2. Estque hæc quarta feudorum ~ propria nota, quòd in feudo ususfructus rei beneficiatæ transeat in accipientem ~.

3. Hæc ususfructus translatio à Dd. dicitur vtile dominium, ideo quòd vasallus non sit solummodo fructuarius, qui qualiter qualiter dicitur esse in quasi possessione, sed quòd præter usumfructum etiam habeat possessionem ~.

4 Quod si dominus retinet, neque in vasallum transfert possessionem, sed ei solummodo concedit usumfructum, huiusmodi feudum etsi à propria feudi natura degenerat, nihilominus tamen est feudum.

5. Ad huius proprietatis declarationem pertinet

feudi ex diuersa acquisitionis causa desumpta diuisio, qua aliud dicitur nouum, aliud paternum, aliud antiquum.

6. Feudum nouum, quod etiam beneficium nouum dicitur, est, quod inuestitura acquisitum est.

7. Sed etsi vetus beneficium quoq; inuestitura acquiratur: attamen vetus beneficium inuestitura non tam acquiritur, quam inuestituræ reuocatione conseruatur.

8. De eo dubitandum non est, si quis bona propria principi obtulerit, eaq; pro feudalibus recognouerit, feudum nouum esse.

9. Effectus noui feudi est, quod eius successio pertineat solummodo ad descendentes, ijs deficientibus ad dominum reuertatur, neq; ad reliquos defuncti agnatos pertineat, etsi patruus magnus sit.

10. Imò nec frater fratri in nouo beneficio succedit, nisi pactum fuerit in inuestitura, vt frater fratri succedat.

11. Feudum paternum, siue beneficium vetus in genere acceptum, est quod successione acquisitum est.

12. In specie paternum feudum est, quod iure successionis à communi agnationis parente infra quartum gradum acquisitum est.

Sed

13. *Sed etsi paternum feudum à patre primùm acquisitum, & ad hoc in manum domini refutatum est, vt filios de eodem inuestiret; attamen paternum manet.*

14. *Et si dominus vasallo, qui in priuationem feudi incidit, culpam remittit, manet feudum antiquum, nisi vasallus ipso iure, & per sententiam feudo priuatus esset.*

15. *Quod si vasallus per collusionem ideò feudo priuetur & restituatur, vt agnati excludantur, agnatis ex æquitate succurrendum est.*

16. *Sic quoq; paternum manet, etiamsi filius consentientibus agnatis feudum paternum refutauerit domino, & denuo fuerit inuestitus tanq̃ de antiquo, vel paterno. Nec obstat quod in paterno feudo inuestitura intra annum & diem petenda sit, quia hac inuestitura beneficium non acquiritur, sed conseruatur.*

17. *Ex eadem ratione paternum feudum, quod dominus de nouo concedit, paternum manet.*

18. *Effectus paterni feudi est, quòd non tantùm iure feudi, sed & successionis, atq; ita duplici iure pertineat ad heredes primi acquirentis.*

19. *Porro antiquum feudum est, quod à com-*

muni parente vltra quartum gradum peruenit.

20 *Sed etsi quoad numerum personarum, quibus hoc feudum iure defertur, differentia est: attamen in effectu nulla est differentia; Hinc feudum antiquum dicitur etiam paternum. Nunc de feudis in quibus vel noui vel antiqui feudi natura alteratur, breuiter agemus.*

21. *Pulchra & quotidiana dubitatio est, si feudum nouum concedatur nomine & iure antiqui feudi.* Nach artt vnd eigenschafft eines rechten alten Stamlehnguts: *vtrum feudum nouum vel antiquum sit? Meritò communiter obtinuit huiusmodi feudum, etsi rei veritate feudum nouum est; quoad effectum, iure feudi censeri.*

22 *Sed hoc duntaxat in effectibus, domini, non vasalli præiudicium concernentibus verum est; ne verba in vasalli fauorem apposita in eius perniciem retorqueantur.*

23 *Imò si hæc verba adijciantur: In omnibus & per omnia, etiam vasalli respectu iuris effectum sortiuntur.*

24 *Sed si feudum antiquum iure noui concedatur, non ideo nouum feudum efficitur; nisi antiquum feudum consentientibus agnatis iure noui concedatur.* Nunc

25 *Nunc quæro, si dominus feudum masculinum in renouatione inuestituræ ad fœminas extendat, quid dicendum? nos cum Zasio concludimus, hoc casu feudum, respectu masculorum, antiquum manere, sed respectu fœminarum, nouum esse, quod postea incipit maternum dici.*

26 *Et generaliter sciendum est, etsi feudum quoad vasallum, qui feudum nouis pactis recipit, nouum censetur; attamen quoad agnatos, quibus ex tenore primæ inuestituræ ius quæsitum est, vetus est beneficium, quod neq; dominus, neq; vasallus in præiudicium agnatorum mutare possunt.*

27 *In dubio feudum præsumitur esse paternum & antiquum, quod verum est non tantùm si vasallus possidet, sed etsi neque dominus neque vasallus possideat; attamen potius paternum quàm nouum præsumitur; Sed si dominus possidet, nouum præsumitur.*

28 *Quinta veri & proprij feudi natura est, quòd in perpetuum ad heredes suos masculos pertineat.*

29 *Etenim filia non succedit in feudo, neque ad eiusmodi successionem aspirare potest, et licet*

masculus ex fœmina descendat, non tamen in feudo succedit, sed à successione feudi remouetur.

30. Sexta & vltima feudi proprietas consistit in onere fidelitatis & seruitiorum, hinc beneficiarij à fidelitate dicuntur fideles, item vasalli, à seruitijs militaribus dicuntur milites.

31 Quod si vasallus domino suo pro beneficio, quod ad eum peruenit fidelitatem facit nullo anteposito, feudum ligium dicitur.

32 Sed etsi seruitia non sint de substantia omnis feudi, interim tamen vt feudum propriam feudi naturam habeat, requiruntur seruitia.

33 Hinc etsi dominus vasallo, non habita seruitiorum mentione, feudum dederit, nihilominus debentur, quòd ea, quæ naturaliter insunt, pro cauto habeantur. Estq; in feudo incerti officij à domino indicendj potestas, si modo dominus honestum seruitium exigat, & generaliter attendendum est vt dominus tale seruitium vasallo imponat, quod vtrique conueniat.

34 Sed pone, appositum est aliquod pactum probrosum, & dominus tradidit possessionem, dubitari potest, vtrum vasallus possit hoc feudum retinere, an dominus repetere? respondemus,

in pari

in pari cauſſa turpitudinis, potior eſt cauſſa poſſidentis, maximè ſi loco illiciti pacti vaſallus ſeruitium honeſtum offerat.

35 *Atque hoc feudum, quo ſeruitia non ſunt determinata, dicitur ſimplex feudum; quòd ſi verò feudum ad certum ſeruitium detur, quod fieri poteſt, ab interpretibus vulgò feudum conditionatum dicitur.*

36 *Illud certum eſt, quòd vaſallus regulariter non teneatur domino irrequiſitus ſeruitia præſtare, neque cogitur vaſallus omninò dominum adire, eique ſeruitium offerre. Nunc de ſeruitiorum generibus, atque ita de feudo Guardiæ & Gaſtaldiæ breuiter agemus.*

37 *Guardia ſignificat cuſtodiam. Hinc feudum Guardiæ dicitur, quod pro cuſtodia curtis, mercedis loco conceditur. Hoc feudum alibi pro vice dominicaria acceptum feudum dicitur.*

38 *Gaſtaldia ſignificat domunculæ famulturam, à caſa & alda, quod famulum ſignificat. Hinc feudum Gaſtaldiæ dicitur, quando dominus curti & prædijs ſuis actorem præficit; & hoc feudum alibi pro villicaria acceptum dicitur. Sed huiuſmodi feuda, omnium ſex proprietatum reſpectu, impropriam naturam habent.* Feu-

39. *Feudum Guardiæ & Gastaldiæ, vel quod nomine Guardiæ & Gastaldiæ in feudum datur, ablatâ Gastaldiâ & Guardiâ, iure auferri potest.*

40. *Quod si feudum vasallo ita datum est, vt ab omnibus seruitiis immune sit, Francum, hoc est, liberum dicitur, quod etsi propriam feudi naturam non habet; attamen valet, quòd vasallus hoc feudum non demeruisse sed promeruisse videatur.*

CORONIS.

1. *Supra de Substantiæ, Naturæ, & Formæ differentia dictum est, nunc quærendum, vtrum accidentalia (vti Dd. vocant) non tantùm à substantialibus, sed & à naturalibus & formalibus differant? Nos meritò sequimur placita maiorum nostrorum rectè docentium, accidentalia ea esse, quæ rarò negociis hominum adhiberi solita sunt. Sed interim ignorandum non est, accidentalia, ex continua eorum vsurpatione fieri naturalia, veluti, in venditione stipulatio de euictione, & in testamentis, clausula codicillaris, quæ hodiè etiam ab imperitis notariis adijcitur, inter-*

interpoſita præſumitur; Item accidentalia deſtinatione contrahentium fieri ſubſtantialia —.

2. Diu quæſitum, & non leui armatura vltrò citroq; grauiter dimicatum eſt, vtrum feudum ſit contractus bonæfidei, an verò ſtricti juris? Nos ad propoſitam quæſtionem perpenſo iudicio meditatam ita reſpondemus; Feudum non eſſe contractum bonæfidei, neq; ſtricti iuris, ſed extraordinariam perſecutionem, quemadmodum ſunt omnes condictiones naturales, item iuramentum, & fideicommiſſum —.

DISPVTATIO IIII.

DE FEVDO EX PACTO ET PROVIDENTIA, HEREDITARIO ET MIXTO

Ex c. 17. de eo qui sibi vel heredibus suis masculis & fœminis inuestituram accepit, c. 45. An agnatus vel filius defuncti possit retinere feudum repudiata hereditate. c. 78. Culpam vnius ex coheredibus cæteris non præiudicare, c. 83. Si vnus ex fratribus dederit suam partem fratri vel domino vel extraneo, cum similibus.

in qua

Præside

CHRISTOPHORO VVENDINO J. V. D.

Respondebit

HERMANNVS CAVFMAN

Lubecensis.

ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandri.

CIↃ IↃ XIIC.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0049

ΕΠΑΙΝΕΣΙΣ

Postea quam ex diuerso inuestiturarum tenore feudorum propagationi certus modus impositus est, quo feudum aliud ex pacto & prouidentia, aliud hereditarium dicitur: verba inuestiturarum ex quibus hæc distinctio prognata est, exactiori cura atq; cultura in præsentiarum ideo separatim, quòd horum terminorum cognitio obscura adeòq; perplexa sit, vt quorumcunq; eruditorum ingenia plurimum defatigarit ac miriricè torserit, aliquantò diligentius examinabimus.

Thesis I,

FEudum conceditur vel simpliciter nulla facta filiorum vel heredum mentione, vel cum adiectione veluti duobus fratribus eorumq; heredibus masculis & masculis deficientibus fœminis, vel Titio filiabus, vel heredibus suis masculis, vel his deficientibus fœminis.

II.

Ex tàm varia & multiplici inuestiturarum diuersitate Pileus & Bulgarus antiqui glossematarij, eosq; secutus Andreas de Isernia

hanc feudi distinctionem constituerunt, quod feudum sit vel ex pacto & prouidentia, vel hereditarium vel mixtum.

III.

Atq; hæc feudorum distinctio à Dd. tàm docendo quàm consulendo recepta est, & rationem habet, quemadmodum infra, & alias Deo adiutore plenius, dicemus.

IIII.

Sed prædictam feudorum communi Dd. calculo approbatam distinctionem Arriús Pinellus commentitiam, et alij nulla iuris feudalis dispositione suffultam, atq; à Dd. contra rationem iuris, quo omnia feuda ex pacto & prouidentia acquiri intelliguntur, conflictum arguunt, Videamus modo quid verum sit.

V.

Etsi quidam existimant feudum ex pacto & prouidentia illud dici quod ab autoribus feudalibus appellatur paternum, attamen hæc opinio ideò euidenter falsa est, cum & hereditarium dicatur paternum.

VI.

Guilhelmus de Perno feudum ex pacto & prouidentia vocat familiare, Alij vocant feudum

dum rectum, hæc tam variè ideò quòd huius feudi ex pacto & prouidentia nulla in iure feudali mentio extet. VII.

Amplius quoq; interpretes in ratione nominis cur huiusmodi feudum ex pacto & prouidentia vocetur, dissentiunt. Quidam dicunt simpliciter ita nominari respectu maiorũ quasi ex eorum pacto & prouidentia acquisitum sit, alij distinguunt, vt ex pacto recipientis, atq; ex prouidentia legis vel principis feudum ex pacto & prouidentia dicatur.

VIII.

Et de hereditarij feudi appellatione discrepantes extant Dd. opiniones, alij existimant feudum hereditarium esse quòd est transitorium ad heredes, atq; ita hereditarium dici ratione trãsmissionis nec desunt qui hereditarium dici existimant simpliciter ratione inseparabilitatis, quòd successor in feudo hereditario debeat quoq; esse heres in allodialibus, per se autem retinere naturam feudi ex pacto et prouidentia & quod succedendi necessitas beneficio inuentarij possit remoueri. IX.

Verum enimuero his & similibus quæ

montis instar facilè possunt conglobari & accumulari, nihil obstantibus, contra Vltramontanos quibus hæc distinctio plerun q3 displicet, intrepidè & firmiter concludimus supradictam Pilei & Bulgari atq3 communiter adprobatam distinctioncm à iure feudali non alienam, sed ei congruam non sine rationum momentis tuebimur.

X.

Nam etsi in generali significatione, omnia feuda ad agnatum ex pacto & prouidentia primi concedentis acquiruntur, attamen feuda in quorum concessione de hæredibus dictum non est, sed ex propria feudi natura in mero sanguinis iure acquiescunt atq3 ab hereditariæ successionis necessitate aliena sunt, speciali significatione, feuda ex pacto & prouidentia dicuntur, ex pacto, scilicet tacito, & prouidentia puta iuris feudalis quæ sola prædicto pacto adminiculatur.

XI.

Est q3 hæc propria feudi natura, hinc feudum absolutè prolatum intelligitur ex pacto & prouidentia, & quamuis controvertatur, nos tamen constanter affirmamus, feudum in dubio potius ex pacto & prouidentia præsumi.

Et li-

XII.

Et licet feudum simpliciter, nulla filiorum vel heredum facta mentione concedatur, nihilominus transit ad heredes, eos scilicet qui alias ex natura feudi succedunt, vt perinde sit ac si expresse concessum esset, pro se & filijs suis masculis.

XIII.

Genera feudi ex pacto & prouidentia acquisiti varia sunt, veluti quando conceditur tibi, & filijs siue liberis, vel etiam tibi & descendentibus.

XIIII.

Sed etsi feudum tibi & familiæ siue posteris, vel tibi & proli tuæ, vel in omnem generationem, vel tibi & tuis concedatur, rectè feudum ex pacto & prouidentia dicitur.

XV.

Effectus feudi ex pacto & prouidentia est, quod in eo vnus non habeat càusam ab alio, sed omnes à concedente iure proprio, & quod successores non ab vltimo defuncto, sed ex stipulatione vel pacto cum primo acquirente imto, acquisitum existimetur.

XVI.

Hinc alter alteri in huiusmodi feudo non potest præiudiciare, quòd censeatur saltem ad vitam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0055

vitam ita conceſsum, vt poſt mortem primi, ex eadem conceſsione perueniat ad ſecundum, & ſic deinceps, atq; ita tot intelligantur eſse donationes quod perſonæ.

XVII.

Feudum hereditarium eſt quod propter ſpecialem in inueſtitura habitam heredum mentionem, propriam feudi naturam amittit & hereditariam aſsumit.

XVIII.

Hereditarium feudū dicitur non tantum ratione tranſmiſsionis, et inſeparabilitatis, ſed etiā ratione internæ qualitatis, quæ à propria feudi natura recedit, & ad rerum allodialium naturam inclinat.

XIX.

Hinc eſt quod vaſallus de feudo hereditario poſsit teſtari, neq; exheredatus ad hoc feudum poſsit adſpirare, præterea hoc feudum computatur in legitimam, & tranſit cum fideicommiſſo vniuerſali.

XX.

Generaliter hoc feudum perinde vt aliæ res hereditariæ continetur petitione hereditatis, adeò vt in ipſo feudo ſuccedatur iure hereditario. Hactenus de qualitate feudi hereditarij, nunc eius genera proponemus. Si feu-

XXI.

Si feudum Titio ita detur: concedimus tibi, feudum pro te & tuis heredibus vt heredibus, huiusmodi feudum esse hereditarium nemo est qui dubitet, cui æquipollet huiusmodi feudi concessio: qua Titio pro se & liberis & suis heredibus feudum datur. Nam posterior copula & hereditariæ qualitatis est significatiua.

XXII.

Neq; existimandum est duntaxat huiusmodi feudum quod prædictis duobus modis conceditur hereditarium esse, quemadmodum Decius & alij existimauerunt, cum & alijs modis rectè hæreditarium dicatur.

XXIII.

Admodum controuersum est, si feudum concedatur Titio pro se & heredibus aut pro se vel heredibus, vtrum sit feudum ex pacto & prouidentia, an vero hereditarium? Etsi non desunt qui huiusmodi feudum ex pacto & prouidentia iudicarint, attamen nihilominus feudum hereditarium est, quatenus vel simpliciter heredum mentio facta fuit.

XXIV.

Nam etsi heredis appellatio quatenus à iu-

re profertur filios designat, attamen si ab homine in feudi concessione vsurpetur qualitatem & ius hereditarium significat idem est si feudum datum sit Titio pro se & suis heredibus.

XXV.

Vtrum huiusmodi feudum quod pro se & heredibus masculis datur, sit feudum hereditarium, an vero ex pacto & prouidentia admodum controuersum & dubium est, adeo vt Iulius Clarus, ex facto ab utraq; parte requisitus, consulere recusauerit.

XXVI.

Sed etsi Reinerius de Foroliuio existimauit esse feudum ex pacto & prouidentia, quod prolixè probauit M. Antonius Natta, & secutus est Arrius Pinellus & complures alij, attamen Reinerij decisio Julio Claro teste, inanis, sine succo, & falsa est.

XXVII.

Huiusmodi feudum quod verbis generalibus & vniuersalibus conceditur, veluti: pro se & heredibus quibuscunq;, ad qualescunq; heredes, etiam extraneos ad instar aliarum rerum transfertur; hinc à Iacobo de S. Georgio dicitur

dicitur feudum omninò hereditarium.

XXVIII.

Vtrum feudum hereditarium etiam ad fœminas transeat admodum dubium est, adeò vt Carolus Molinæus fateatur se, quanto plura in hoc puncto legerit, tanto minus discernere posse, quæ sit opinio crebrior, sed huiusmodi feudum etiam ad fœminas transire verius est.

XXIX.

Denique mixtum feudum est quod participat de vtroque, veluti est feudum quod tibi filijs & heredibus & ab ijs legitimè descendentibus datum est, in huiusmodi feudi successione non sufficit ius sanguinis, sed amplius requiritur quod sit heres, quam sententiam Iulius Clarus veriorem & magis communem se semper vidisse in practica observari testatus est.

XXX.

Nec est inconueniens vt sanguis et qualitas hereditaria simul concurrant, & sanguis reguletur à qualitate hereditaria, etenim hoc feudum retinet omnes qualitates feudi hereditarij.

XXXI.

Ex superioribus facilè intelligimus quid sit feu-

ex pacto & prouidentia, item hereditarium, & cur ita dicantur; Neq; est, qui de huius distinctionis in omnibus imperij Romani partibus receptæ creberrima vsurpatione dubitet, sed vtrum iure fundatam rationem habeat, anxiè dubitatum est.

XXXII.

Nuperrimè Hartmannus Pistor in Seuselitz hanc communi omnium Dd. autoritate comprobatam distinctionem aliquot suspitionibus à se oneratam, ex ijsq; suo iudicio potius reijciendam ingenuè confessus est, quas prolixè referre non est nostri instituti, & superuacaneum foret, cum vna eademq; opera easdem referre & infringere sufficiat.

XXXIII.

Primum non obstat quod verba in iure pro subiecta materia sint accipienda, atq; ita cum heredis appellatio in iure feudali filium significet, generaliter concludendum videatur heredem indistinctim significare filium, quia etsi verba pro subiecta materia accipiantur, interim tamen subiectæ materiæ significatio non semper vna & eadem est, sed pro diuersitate

causæ

causæ, quæ est potioris efficatiæ, mutatur.

XXXIV.

Hinc etsi contrahentes dicant idem, vel vtantur eodem verbo heredum, quo lex vtitur, attamen non est idem, neque hoc nouum est, quod verba à contrahentibus prolata aliam & diuersam habeant significationem, quàm si à lege proferantur.

XXXV.

Sic pro diuersitate vtentis aliam atque aliam recipit significationem appellatio bonorum, filiorum, & liberorum, idq; alijs innumeris exemplis passim à Bartolo enucleatis notissimum est.

XXXVI.

Eadē ratione heredis appellatio quando in iure feudali ponitur, significat filium, secus est si à contrahentibus in inuestitura proferatur, exemplum est in c. 17. De eo qui sibi vel heredibus mascul. et fæmin. &c. Quod cap. totum loquitur de feudo non habente propriam feudi naturam.

XXXVII.

Neq; obstat quod heres non solum hereditatis sed & sanguis heres recte dicatur, quia etsi heredis appellatio in materia feudali & quidem

in casibus ex post facto emergentibus legis prouidentia in angustissimam significationem vt filium designet ideò reuocetur, ne proprietas in vniuersum inutilis sit semper abscedente vsufructu, attamen quando heredum appellatio in contractu & in ipsa feudi concessione ab vtoq; contrahentium vsurpata est, contraria & potior militat ratio publicæ scilicet vtilitatis, Ne milites vitæ luxuriosæ dediti creditores hereditatios perpetuò illudant.

XXXVIII.

Dum itaq; heredis appellatio in concessione feudi eadem significatione accipitur qua communi omnium vsu & lege accipi consueuit, sublata est vasallis omnis iustæ querimoniæ causa, quasi significationem vocabuli heredis non intellexerint, imo iustior foret dominorum & creditorum querela qua iuris feudalis prouidentia in eorum perniciem iniquè torta redundaret.

XXXIX.

Hæc omnia rectius & plenius Domini percipient quando causas nouæ significationis verbi heredis inuestigauerint, generaliter Domini sciant huius nouæ hereditariæ significationis causam

sam esse prouidentiam iuris, qua cessante meritò quiescit quoq; vis nouæ significationis, vt verbum heredis pro communi vsu & natiua significatione secundum proprietatem definitionis heredum & filiorum accipiatur.

XL.

Cum itaq; heredis nomen vniuersale sit, quo significatur successor in vniuersum ius quod defunctus habuit, neque mirum neque rationi minus congruum videri potest, ex vnico heredum vocabulo in inuestitura posito feudi naturam aliàs ex sola iuris prouidentia promanantem, immutari.

Coronis.

I.

Verbosa altercatione inter commentatores in c. 45. An agnatus vel filius defuncti possit retinere feudum repudiata hereditate disceptatum est, vtrum distinctio d. c. 45. etiam locum habeat in feudo hereditario quemadmodum ibidem Baldus, Aluarottus Laudensis, Zasius, Schenck existimarunt, an verò pro-

procedat solummodo in feudo ex pacto & prouidentia? Nos cum feudum hereditarium sit pars hereditatis, cum Didaco Couarruuia absurdum esse asseueramus prædictam distinctionem in feudo hereditario obtinere.

II.

Hoc loci non intempestiuè quæritur, vtrum in feudo hereditario succedendi necessitas inuentarij beneficio, quemadmodum Zasius & alij tradiderunt, possit remoueri? Nos cum Andræa de Isernia & Didaco Couarruuia quod non possit, tuebimur.

DISPVTATIO V.

DE INVESTITVRA, FIDELITATE ET HOMAGIO.

Ex c. 2. Quid sit inuestitura cum tribus sequent. & tit. de forma fidelitatis cum duob. sequentibus

in qua

Præside

CHRISTOPHORO VVENDINO *J. V. D.*

Respondebit

NICOLAVS KLEIST.



ROSTOCHII

Stephanus Myliander excudebat.

ANNO

CIↃ IↃ XIC.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0065

POsteaquam de substantia, natura & generibus feudorum dictum est, proximum est vt causas & modos, quibus et qualiter feudum acquiratur, proponamus, quemadmodum autem omnium rerum quas natura profert, certi sunt modi quibus nascuntur, deinde crescunt & postea continuantur, ita quoq; feudum tribus modis puta inuestitura, successione, & tempore siue præscriptione acquiritur.

Thesis I.

INuestitura quæ nostris appellatur die Belehnung à similitudine vestium appellationem traxit, quemadmodum enim corpus humanum vestium ambitu cingitur, ita quoq; vasalli amicæ beneuolentiæ amore & ambigenti dominorum gratia fouentur & sustentantur.

2 Dicitur q; inuestitura sicuti ab Ortensio rectissimè traditum est, propriè possessio, hoc est actus quo possessio rei immobilis feudi titulo traditur.

3 Quemadmodum autem ad possessionis dationem ex præsupposito tria requiruntur 1. vt

traditio procedat ex causa ad dominij translationem idonea 2. quod venditori satisfactum sit, vel is in creditum abierit, 3. quod rem traditurus, sit dominus rei; Ita quoq; ad inuestituræ substantiam eadem tria requiruntur, I. vt res immobilis feudi titulo concedatur II. vt vasallus domino fidelitatem ⁊ faciat, vel dominus fidelitatis nomine in creditum abeat, III. vt is qui tradit rem ex causa ⁊ feudi sit dominus rei. De quibus singulis separatim breuiter dicemus.

4. Inuestitura abusiuo modo dicitur quando hasta vel aliud corporeum quidlibet puta vexillum, gladius, aut chirotheca porrigitur à domino feudi se inuestituram facere dicente.

5 Per abusiuam inuestituram non transfertur possessio, atq; ideò non competit interdictum recuperandæ possessionis, sed vasallus ex abusiua inuestitura acquirit actionem personalem ⁊ tanquam ex solenni stipulatione.

6 Huiusmodi inuestitura fidelitatem debet præcedere, fidelitatem tandem sequitur feudi traditio, quæ propriè est inuestitura, fidelitas medio loco intercedit, etenim cum feudum ⁊ à fidelita-

fidelitate dicatur, nulla inuestitura debet ei fieri qui fidelitatem facere recusat.

7 Fidelitas est iusiurandum, quod à vasallo præstatur domino.

8 Quod si vasallus tribus vicibus (septem dierum spacio totiens interposito) admonitus, fidelitatem domino facere recusauerit, dominus postea vasallum non tenetur inuestire.

9 Forma fidelitatis diligenter custodienda est, quòd non possit dominus à vasallo insolitum iusiurandum exigere, hinc insolita iuramenta præsumuntur impressa, per vim metumq; extorta.

10 Cæterum forma fidelitatis est duplex, vasallus ligius hoc est vasallus de feudo ligio inuestitus est, qui nullo anteposito contra omnes, ne rege quidem vel antiquiore excepto fidelitatem debet; estq; hæc superior fidelitas, quæ non recognoscenti superiorem præstatur.

11 Non ligius vasallus ita iurat, Ego iuro quod amodo in antea ero fidelis tibi Caio domino meo, sicut debet esse vasallus domino, contra omnem hominem, excepto imperatore; cumq; de fidelitatis præstatione variæ incurrant disputa-

rationes sequentes conclusiones probè custodiantur.

12 *Vasallus plura simplicia feuda habere potest, non tantum ab eodem domino in pluribus locis, eaq; omnia sub iuramento fidelitatis, sed antiquiorem dominum ipse tenetur iuuare, cæteros per substitutum.*

13 *Sed si vetus fuerit beneficium vt non constet quis sit antiquior dominus, hoc casu locus est gratificationi, vt quem voluerit possit ipse iuuare, alterum per substitutum.*

14 *Duorum quis vasallus ligius & non ligius esse potest, vni ligius, alteri non ligius, hinc est quod homo ligius irrequisito & inuito domino suo potest se alteri constituere hominem non ligium, Nam in homagio non ligio fidelitas quæ priori domino debetur, excipitur, atq; ita posteriori nihil præiudicij generatur, quod si dominus resistit, videtur resistere vt officiat, non vt consulat vasallo suo, & ideò non est audiendus.*

15 *Nisi subsit iusta causa prohibitionis veluti si vasallus inimico prioris domini homagium facere velit, quo casu rectè impeditur.*

16 *Illud placet quem ligium hominem duorum esse non posse.* Vasal-

17 Vasallus non tenetur filio domini, ipso domino viuente, iuramentum fidelitatis præstare, Et licet filius Regis, Ducis, vel Comitis, viuente patre, Rex, Dux, vel Comes vocari debeat, attamen hoc fit impropriè, nec enim duo in eodem regno vel ducatu Reges vel Duces esse possunt.

18 Domino pluribus heredibus relictis decedente omnibus & singulis domini successoribus fidelitas præstanda est, ex diuerso omnes filij eius qui feudum acquisierit fidelitatem facere debent, maximè si feudum indiuisum habent, quod si feudum ex diuisione ad vnum tantum peruenerit, ille tantum faciet fidelitatem.

19 Præstita fidelitate cogitur dominus inuestitum mittere in feudi possessionem, quod si differat omnem vtilitatem ei præstabit, nec liberatur dominus præstando id quod interest vasallo.

20 Sed amplius præter vtilitatem omnimodo cogitur inuestitum, in vacuam possessionem mittere, hoc est possessionem liberam non occupatam ab alio, remoto omni impedimento tradere, non aliter quam emptor præcisè obligatur ad tradendum, & nihilominus ad id quod interest.

21 *Homagium nostris* die Hüldung *dicitur ab hominio, quòd is qui fidelitatem præstat, efficiatur homo eius cui fidelitatem præstat, estq; solemnis ritus quo vasallorũ vel ciuium vniuersitas pro re temporali domino suo fidelitatẽ iurat.*

22 *Effectus homagij est duplex, aut enim habet effectum recognitionis ratione feudi, aut ratione personarum quæ se iurisdictioni domini subijciunt.*

23 *Hoc loci sciendum est, eum qui non habet feudum, sed simpliciter habitat in territorio domini, nihilominus teneri ratione domicilij fidelitatem præstare.*

24 *Sed pone Titius qui habitat in territorio Megapolensi habet quædam prædia in prouincia illustrissimorum Ducum Pomeraniæ quæro vtrum Titius ratione prædictorum prædiorum cogendus sit Duci Pomeraniæ fidelitatem præstare, Secundum Iserniam, Aluarott. videtur concludendum quod sic, Nam intentio principis est fundata in toto suo territorio, sed verius est Titium non teneri. Nam omnis terra præsumitur libera, neq; feudalis intelligitur, nisi probetur*

25 *Imò iuramentũ ex consuetudine ratione allodialium prædiorum præstari solet.* Sed

26 Sed etsi iurisdictio dominationi feudi coniuncta est, attamen homo hominis mei non est meus homo.

27 Hinc Comitū, Baronum homines non sunt homines imperatoris, interim tamen omnes Germaniæ homines sunt sub potestate & principatu Imperatoris, quo ad iurisdictionem.

28 Quæritur vtrum homo meus exheredatione desinat esse homo meus, etsi cum Speculatore dicendum videtur, quod sit, attamen cum Iohanne de Blonosco contrarium defendemus.

29 Atq; hæc sententia indubitatè verior est, cūius patriæ potestatis non soluatur exheredatione, Quod si filius non exheredatus simpliciter abstineat hereditate, et in libera conuersatione moretur, non tamē homo meus esse desinit.

30 Deniq; inuestitura de alieno feudo purè habita non valet, etsi possessor feudi postea sine herede moriatur, non tamen potest huiusmodi concessio effectum sortiri, Quod si feudū ad dominū reuerti speratur, potest dominus feudum alicui hoc tenore dare, vt feudū habeat post discessum militis possidentis, & successores non habentis.

31 Sed pone Comes de re aliena vel alij obligata Titiū inuestiuit, res euincitur à Titio, quæ-

ritur vtrum ei contra dominum competat eiectio? Obertus decidit quod sic, quatenus ignorati Titio de re aliena vel alij obligata inuestitura facta est, estq; notandum vasallum domino praesenti tempestiue, denunciare debere, non prope ipsam condemnationē Quod si vasallus dominum tempestiuè vt se defenderet vocauit & dominus ad iudicem venire renuat, atq; ita vasallus, causam per sententiam amittat, rectè vasallus petit cambium feudi hoc est æquipollentem nummorum quantitatem in feudum dandam.

32 Tenor inuestiturae praecisè attēdendus est, estq; maxima et firmissima iuris feudalis regula, q̄ tenor inuestiturae primum omnium debeat attēdi, habetq; tenor inuestiturae vim cōtractus et ꝓbationis, quae derogat cōmum feudorū naturae.

33 Quod si tenor inuestiturae fuerit dubius, magis secundum terminos consuetudinis feudalis intelligendus est, deinde secundum terminos iuris communis, cui contrahentes alias se conformare intelliguntur.

34 Posterior inuestitura mutat priorem, dummodò illi quorum interest ad formam inuestiturae mutandam citentur, ijdemq; mutationi expressim consentiant. In

35 *In dubio prima inuestitura non præsumitur mutata & sequentes inuestituræ secundum primam interpretandæ sunt, intelliguntur q; habere easdem clausulas, conditiones, & effectus.*

36 *Effectus inuestituræ est quod possessionem & vtile dominium* den besitz vnd nutzbarlichen eigenthumb *rei feudalis in vasallum transferat.*

37 *Quod si vasallus in possessionem rei feudalis deductus, postea cadat à possessione feudi, poterit rem feudalem à quocunq; possidente per vtilem rei vendicationem repetere, et si possessio ad dominum reuertatur, tenetur dominus eandem vasallo restituere.*

38 *Inuestitura, proprie sic dicta, in concursu abusiuæ prævalet abusiuæ. Nam si dominus aliũ de eodem feudo, anteq̃ vasallus possessionem rei feudalis apprehenderet, inuestierit, eiq; possessionẽ tradiderit, potior est, cui tradita est possessio.*

39 *Nec obstat quod Iohannes Oldendorpius inquit, Certè calumniandi artẽ docent, ideò non cautelã sed fraudẽ voco omnibus modis fugiendã, reportabuntq; isti cautelarij Cadmæã victoriã, et interim triplicis discordiæ erũt autores etc.*

40 *Nam etsi hæc grauiter dicuntur, attamen*

nihil

nihil obstant superioribus q̄ duo vincula ex quibus vnum naturale, alterum ciuile, quemadmodum hoc casu, fortiora sunt vno, Nec obstat, quod ex communi Dd. conclusione triplex discordia 1. inter dominū et vasallum. 2. inter vtrūq; vasallum. 3. vtrorumq; gentilitiam cognationem, suboriatur, quia hæc triplex discordia ex concessa et posita Oldendorpij sententia non euitatur, sed ex commodo iam adeptæ iterumq; auferendæ possessionis magis magisq; crescit & aggrauatur.

Coronidis vice quæritur.

1 Vtrum dominus, qui Titio citra stipulationē nudè et simpliciter feudum promisit, ex huiusmodi promissione teneatur, et quatenus? inconstanter & variè ab interpretibus p̄positum est, quibusdam placet dominum condictione generali ex moribus seu consuetudinibus feudalibus teneri, alijs aliter atq; aliter opinantibus. Nos dominum ex nuda & simplici promissione vasallo non teneri firmiter concludimus.

2 Vtrū ex consueto tacitè conuento competat condictio ex moribus, vel q̄ aliud iuris vel iudicis remedium dubitatur? Nos cum Carolo Molinæo condictionem ex moribus non competere, sed actione ex principali negotio descendente vtendum esse affirmamus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0076

DISPVTATIO VI.

DE SVCCESSIONE

feudi. Ex c. 8. eodem tit. lib. 1. & c. 95. c. 11. de succesſione fratrum, vel gradibus ſuccedentium in feudo, c. 50. de natura ſucceſsionis feudi, ac ſimilibus

in qua

Præſide

CHRISTOPHORO VVENDINO *J. V. D.*

Reſpondebit

IACOBVS HEIN Saxo.

ROSTOCHII

Stephanus Mylander excudebat.

ANNO

CIↃ IↃ XIC.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0077

DIctum est quomodo feudum inuestitura acquiratur, nunc videamus quomodo successione conseruetur, idq; ne verbosa disputatione fiat, duntaxat singularia quæ iure feudali recepta sunt, secundum varios successionis ordines & gradus distinctim subijcienus.

Thesis I.

FEudum natura & nominis & rei veritate ab hereditaria successione separatur, nec enim pertinet feudum ad successionem in vniuersum ius quod defunctus habuit, neq; dicitur domina, quæ defuncti personam sustineat, sed statim proximo agnato aperitur, vel ad dominum reuertitur.

2 Hinc ab interpretibus huiusmodi successio appellatur tertia successionis species, in qua secundum feudalium consuetudinum placita, compluria singulari iure, non tantum in causa testati, sed & intestati, recepta sunt.

3 In causa testati natura successionis hanc constituit regulam: In feudo nullam ordinationem defuncti valere. Quod si à defuncto or-

dinatio fiat, non potest manere, sed perinde est ac si vasallus de re aliena testaretur.

4 Nam feudum vi concessionis, & iuris feudalis prouidentia liberis atque agnatis acquisitum est, atq; ideo cum vnicuiq; tantum acquiratur quantum iuris ratio permittit, manifestum est, quod legis prouidentia acquisitum, non aliter quam legis autoritate auferri posse.

5 Hinc etsi vnus ex filijs de minori parte feudi vel institutionis, vel prælegati vel quo alio titulo fuerit inuestitus, nihilominus cum fratribus æqualiter succedit.

6 Estq; supradicta conclusio adeò vera, vt vasallus nullius curiæ consuetudine feudum possit pro anima iudicare, hoc est; pro salute animæ ad piam causam, puta Ecclesiæ vel monasterio relinquere.

7 Sed vtrum heres hoc in casu ad æstimationem legati à defuncto relicti teneatur, dubium & controuersum est, nos firmiter concludimus, heredem neq; ad æstimationem teneri.

8 Atquin dominus rem feudalem pro anima iudicare potest, quo tamen casu si ecclesia non velit vasallo gratiam facere, tenetur dominus vasallo ad id quod interest. Porrò

9 Porrò in causa intestati & primum in linea descendentium singulari iure receptum est, filiam in feudo non succedere neq; ad huiusmodi successionem adspirare posse, & licet masculus ex fœmina descendat non tamen in feudo succedit.

10 Nam cum ad proprij feudi substantiam militaria seruitia, quæ à muliebris sexus verecundia aliena sunt, requirantur, effectum est heredis appellationem in feudo de filio, vel de masculo intelligendam esse: Sed quia necessarium & vtile est, casus quibus feudum vulgò à lancea ad fusum transire dicitur, in memoria habere, ex ijs eos, qui dignum tractatum habent, breuiter subijciemus.

11 Primum si feudum fuerit Francum, pro quo scilicet nullum seruitium fiat, vt pleraque feuda, hodie dantur, fœmina cum masculo pariter succedit.

12 Si feudum ob certum huiusmodi seruitium datum fuerit quod fœmina ex vasallo descendente non minus decenter præstare possit, quam vasallus, veluti si feudum datum sit, vt vasallus iter vxoris domini officiosè comitetur, vel si

vasallus domi fociq; rem familiarem curet.

13 Et si quis eo tenore de feudo aliquo sit inuestitus, vt in eo succedant fœminæ sicut masculi, hoc in casu & mares & fœminæ, potestate conuentionis & propter sermonem inuestituræ & sensum contrahentium; pariter succedunt, siue feudum ad certum fuerit datum seruitium, siue pro eo indeterminatè fuerit promissum.

14 Item si Titius de feudo nominatim ita est inuestitus vt ad fœminas transiret, vel si feudum Titio vel heredibus suis masculis vel his deficientibus fœminis fuerit datum.

15 Coniuges qui de eodem feudo ea lege vt ipsi, & descendentes, siue liberi sui, id haberent, simul fuerunt inuestiti, moriuntur, filio & filia superstitibus; Quod si liberi ex ijsdem nuptijs nati sunt, præfertur masculus fœminæ, sed si maritus ex prima coniuge susceperit filiam, ex secunda filium hoc in casu cum filius sit ex alijs nuptijs non debet filam excludere, quæ ex his nuptijs progenita est quibus constantibus feudum acquisitum est.

16 Fœminam quoq;, quemadmodum supra diximus, in feudo hereditario succedere verius est.

Deniq;

17 Deniq; si feudum fuerit fæmineum hoc est à fœmina per inuestituram acquisitum, eius conditionis esse dicitur, vt fœminæ in eo succedant.

18 Illud non refert vtrum fœmina feudum, dato pretio redemerit, vel gratuita domini liberalitate, vel propter paterna vel propria seruitia merita fuerit.

19 De eo dubitatur vtrum fœmina in feudo interuētu pecunia comparato succedat? Odofredus docuit fœminam magis vi contractus quam feudi succedere, quod dictum Baldus noster dicit esse notabile si est verum, sed non est verum teste Zasio et compluribus alijs, Atq; hanc negatiuam veriorem existimamus, nisi in feudo iusto precio comparato masculi deficiant.

20 Deniq; in quibusdam prouincijs et regnis feuda ex speciali consuetudine ad fœminas transeunt, veluti moribus Francorum feuda, excepta regni successione ad fœminas pertinent & iure patrimonij censentur, ex consuetudine Megapolitana masculis deficientibus fœminæ succedunt in vsumfructum.

21 In feudis regulariter tradi solet, etsi feudum maribus & fœminis fuerit acquisitum, at-

tamen superstite masculo ex eo qui primus feudum acquisiuit, fœminæ excluduntur.

22 Fœminæ semel exclusæ deinde non admittuntur, quatenus scilicet eius qui primo inuestituram accepit heres masculus supereſt, quod si masculus ex eo qui primo de feudo inuestitus eſt, non super fuerit tunc demum patet locus fœminæ.

23 Porro masculi (fœminis quemadmodum diximus exclusis) pariter succedunt ascendentibus in infinitum, ita vt nepotes ex filio sui parentis loco succedant.

24 Nisi quod primogenitus in beneficijs dignitatum, quæ regalia vocantur, solus succedat, Ex statuto quoq; vel consuetudine primogenitus præfertur secundo.

25 Sed etsi filius sit emancipatus nihilominus in feudo succedit.

26 Nec refert vtrum filij sint eiusdem, an diuersi matrimonij, nisi pater nobilis postea cum minus nobili hac conditione nuptias contrahat vt liberi ex ea nati non succedant in feudo, hoc casu stabitur pactioni, & pater qui hac conditione ad secunda vota transit, dicitur matrimoni-

monium ad morganaticam, vel lege Salica contrahere.

27 Illud singulari iure feudalibus consuetudinibus receptum est, quod adoptiuus in feudo non succedat, ratio manifesta est, quod feudum non ex adscititio sed sanguinis iure detur.

28 Naturales filij licet postea fiant legitimi ad successionem feudi nec soli, nec cum alijs admittuntur.

29 Quod de ijs qui per oblationem curiæ & rescriptum principis legitimati sunt indistinctè verum est. Sed vtrum legitimati per subsequens matrimonium in feudo succedant, controuersum est, communiter hæc distinctio recepta est, si feudum ante subsequens matrimonium acquiratur legitimatos non succedere, Sed si antequam feudum acquisitum est, naturalis per subsequens matrimonium fuerit legitimatus hoc casu matrimonium retrotrahitur ad tempus natiuitatis, quia pater in feudi acquisitione præsumitur cogitasse de filijs suis legitimatis.

30 Successionis feudi talis est natura, quod ascendentes non succedant, verbi gratia: Pater filio non succedit, non tantum in feudo antiquo, quòd

quòd impoßibile ſit antiquum feudum à filijs patribus acquiri, ſed nec in nouo.

31 Quod ſi tamen beneficiarius æuo grandis & feudi munijs impar filijs in gratiam eorum feudum domino refutauit ad hoc, vt filij de eo inueſtirentur, ijque abſq; heredibus maſculis decedant, hoc in caſu feudum propter naturalem æquitatem ad patrem reuertitur, Idem eſt ſi dominus filio feudum amore & contemplatione patris conceſſerit.

32 Cæterum in linea collateralium ad feudorum ſucceſſionem non admittuntur cognati, ſed ſolum agnati, hinc efficitur fratrem vterinum in feudo fratri ſuo defuncto non ſuccedere.

33 Amplius collaterales in feudo nouo non ſuccedunt, ſed feudum ad dominum reuertitur.

34 Sed etſi communi feudali iure inueſtitura non efficit, vt frater ſuccedat fratri in feudo nouo, atq; ita ſimultanea inueſtitura quo ad effectum ſuccedendi prorſus incognita eſt, attamen iure Saxonico & communiter in Germania duplex vſurpatur ſuccedendi modus, vno ſucceditur iure agnationis, alio virtute pactorum & ſimultaneæ inueſtiturę. Præ-

35 *Præterea fratres consanguinei vnà cum germanis in feudo fratris defuncti succedunt.*

36 *Denique agnati eius qui feudum à primo acquisiuerunt in infinitum in feudi successione admittuntur, nisi quod ij qui non descendunt ab eo qui primo feudum acquisiuit, sed aliàs ex pacto vel ex statuto ad feudum admittuntur vsq; ad septimum gradum succedunt.*

37 *Imò in successione personarum illustrium veluti Regum, Principum, Comitium, Baronum licet feudum agnatis quingentis annis vacet, nihilominus agnatis etiamsi in centesimo gradu sunt, successio in feudo datur.*

38 *Hactenus enumerati sunt præcipui casus quibus singularia in iure feudali recepta sunt, si quibi casus emerserit qui consuetudine feudi non sit comprehensus, strennuus legisperitus absq; calumnia vti poterit lege scripta.*

39 *Illud hoc loci admonendi sumus; quemadmodum in omnibus alijs iuris feudalis partibus cuiusque loci consuetudo derogat scriptis consuetudinibus, hoc maximè in hac successionum materia sibi locum vindicare.*

Verum-

40 *Verumenimuero in articulanda & probanda consuetudine aduocatus cautus esse debet, Etenim iudex secundum consuetudinem probatam iudicare debet, alias non.*

Coronidis vice quæritur.

I.

Vtrum in fæmineo feudo simpliciter dato, fæminæ deficientibus masculis succedant, quemadmodum Obertus & Gerardus tradiderunt, An verò requiratur vt fæmina quæ de nouo feudo inuestitur, speciali pacto caueat, feudum deficientibus masculis ad fœminas pertinere, quemadmodum alij dixerunt, & sequitur Glossa, Andreas de Isernia & nouissimè Cuiatius?

II.

De iure primigeniorum sæpissimè quæsitum, & grauiter disputatum est, vtrum nepotes ex filio primogenito excludant patruum, an verò filij ex fratre patrem suum repræsentent?

DISPVTATIO VII.

DE FEVDI RECOGNI-tione, siue Inuestituræ renouatione, item de Diuisione fructuum vltimi anni, & denique de Præscriptione.

Ex c. 22. Quo tempore miles inuestituram petere debeat c. 28. §. his consequentur. Hîc finitur lex incipiunt constit. regni iuncta, l. diuortio ff. solut. matrim. & denique ex c. 26. §. si quis per triginta. Si de feudo defuncti cum similibus.

in qua

Præside

CHRISTOPHORO VVENDINO *J. V. D.*

Respondebit

IOHANNES STOFFL *Noribergensis.*

ROSTOCHII

Stephanus Mylianders excudebat.

ANNO

CIↃ IↃ XIC.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0089

SIngularia quæ in successione feudi moribus recepta sunt tractauimus; superest vt de renouatione inuestiturę intra annum & mensem instituenda, item de diuisione fructuum vltimi anni, & deniq; de præscriptione feudi dispiciamus.

Thesis I.

OVia successionum varietatem plerunq; sequitur permutatio, ideò ne ius domini temporis longinquitate obscuretur, vel etiam perimatur, summa prouidentia constitutum est, vt proximus agnatus cui feudum morte vasalli apertum est, in signū reuerentiæ & recognitionis dominij, fidelitatem pollicendo, inuestiturę renouationem petat.

2 Ad inuestiturę renouationem omnino requiritur vt filius vel proximus agnatus intra annum & mensem post mortem patris vel agnati inuestituram desideret.

3 Sed etsi non desunt qui menstruum spacium per legem Corradi & Friderici in diem commutatum existiment, attamen hæc diei & menstrui spacij discrepantia communiter huiusmodi

modi distinctione in concordiam reuocatur, vt dies requiratur in vasallo pagano, sed vasallo militi mensis indulgeatur.

4. Et quamuis hæc distinctio à Cuiatio improbetur, atq; is in vtriusq; tàm militis, quàm priuati, inuestituræ renouatione diem requirat, attamen nos communiter receptam distinctionem tuebimur.

5. Atq; hoc petendæ inuestituræ tempus potest dominus feudi prorogare, sed coarctare non potest.

6. Cæterum incipit prædictum tempus currere à tempore scientiæ hoc est quando agnatus feudi vacantis noticiam habuit.

7. Quod si vasallus ignouerit esse beneficium, veluti si in hereditate non inueniat inuesituras excusatur, cum tanquam heres iustam ignorantiæ causam habeat.

8. Ignorantia etiam iuramento probatur, quod si vasallus allegans ignorantiam feudi vacantis, offerat iuramentum, neq; admittatur per pares curiæ, hoc casu vasallus tanquam grauatus rectè appellat, & iudex appellationis sententiam parium retractare debet.

Quod

9. Quod si vasallus domino mortuo per annum & diem steterit, neq; heredem domini sui, inuestituram petendo, & fidelitatem pollicendo adierit, feudum amittit, & feudum ad dominum redit.

10. Nisi iusta causa interuenerit quare renouationem inuestiturae non petierit, veluti mortis, capitales inimicitiae, vel infantia, vel absentia, hisce & similibus causis impedientibus si renouationem inuestiturae non petierit, dolus abesse videtur.

11. Caeterum vasallo mortuo fructus ex feudo prouenientes ad agnatos, & iis deficientibus, ad dominum pertinebunt, si vasallus post Augustum & ante Martium decesserit.

12. Sed si vasallus post Calendas Martij, & ante Calendas Augusti decesserit, omnes fructus qui interim percipiuntur, ad heredes vasalli pertineant.

13. Etsi haec distinctio Beluisio, Couarruuiae, Cuiatio & aliis aequitate carere, & Baldo solius beneplaciti verbo sustineri videtur, eamq; Carolus Molinaeus falsam & irrationabilem exclamat, attamen vera est & rationem habet.

14. *Sed vt de ratione huius distinctionis eò euidentius constare possit, præmittendum est, quod veteres à mense Martio annum inceperint, estq; hic primus mensis Martius à Romulo ita dictus, quòd primum mensem, Calendasq; Martias genitori suo dedicauerit.*

15. *Prima quoq; Calendarum Martij ignis nouus aris Vestæ incendebatur, mercedes exoluebantur, & strenæ mittebantur, fueruntq; Calendæ Martiæ fœminis, quod iis munera dari solebant, solemnes, perq; omnia fœminis dicatæ erant, vt Saturnalia viris.*

16. *Sed etsi hodie annum à natiuitate Christi incipimus, attamen ratione sementorum æstiuorum manet altera pars, & principium medietatis anni, quod itaq; quod ad hordearias, fabarias, aliarumq; leguminum messes, item fœneficia attinet, res expedita est.*

17. *Sed cur cæteri fructus pertineant ad agnatum vel dominum, obscurum est. Nos existimamus rationem in iure feudi, quod ab hereditate longissimè distat, & temporis exiguitate positam esse, nam fructus incipientis*

anni

anni iure feudi meritò ad agnatos pertinent, exemplo suorum heredum, quamobrem etsi annus fructuum incipit à Septembri, attamen quando vasallus moritur post mensem Septembris, atq; ita initio anni vel tempore currentis dimidij anni, fructus huius temporis ideo non pertinebunt ad heredes vasalli, quòd vasallus eos nondum meritus sit, atq; ideo ad heredes suos transmittere non possit.

18. Illud quoque sciendum est hæredes curæ & culturæ impensas deducere posse, sed quia prædictæ distinctioni compluria, & imprimis L. diuortio, siue L. fructus § Papinianus ff. solut. matrimonio, aduersari videtur, sententiam Papiniani in d l. diuortio, breuiter discutiemus.

19. Species facti hæc est, mulier Calendarum Octobris, & ita vindemia, fundum in dotem dedit, fructusq; vindemiæ percepit maritus duodecim florenorum, lecta vua fundum maritus Calendis Nouembribus locat duodecim aureis, quid euenit? diuor-

diuortium suprema Ianuarij, hoc est pridie Calendarum Februarij secutum est, & sic quatuor mensibus siue tertia anni parte matrimonium durauit. Quæritur quanta portio fructuum debeatur marito? communiter Dd quinque florenos marito pro vniuersis fructibus fundi dotalis constituunt.

20. Atq; hanc sententiam secutus est Cuiatius hoc modo: vt fructus vindemiæ puta XII commisceantur quartæ parti mercedis eius anni hoc est tribus, & ita erunt quindecim, ex qua pecunia viro tertia pars hoc est quinque relinquantur.

21. Atque ita Cuiatius proportionem geometricam solummodo in integris fructibus, requirit, sed in quarta pensionis, & temporis & crescentis atq; decrescentis pensionis diuersitatem negligit.

22. Sed Franciscus Duarenus in d § Papinianus & 1. disput. vlt. marito vniuersorum fructuum nomine quatuor aureos tribuit, hoc modo: vt ex fructibus vindemiæ quia saltem nomine vnius mensis, quo percepti sunt, debentur, marito vnus aureus tribuatur, sed ex pen-

sione

ſione quia tribus ſequentibus menſibus currit, tres quoque aurei marito tribuantur, totamq; computationem ita inſtituit vt proportio geometrica tàm pro temporis, & fructuum, quàm penſionis diuerſitate locum habeat, quemadmodum ex poſito, & ſequentibus caſibus manifeſtò apparebit.

23. Pone fructus vindemiæ ſunt viginti quatuor aureorum, locationis merces duodecim, atq; ita vniuerſi fructus ſunt triginta ſex aureorum, hoc ſecundo caſu iuxta communem & Cuiatij ſententiam marito nouem aurei debebuntur.

24. Verum ſecundum Franciſci Duarem computationem maritus habebit ſolummodò quinq; aureos, vnus menſis largitur marito ex fructibus vindemiæ pro duodecima parte fructuum duos aureos, ex penſione quæ tribus menſibus currit proportio tripla tribuit marito pro quarta parte mercedis tres aureos, quæ confuſæ conſtituunt quinq;.

25. Quod ſi fructus vindemiæ ſunt duodecim aureorum, merces locationis viginti quatuor, hoc caſu veteres interpretes communiter cum recen-

tioribus nonnullis marito constituunt octo aureos, sed Cuiatius solummodò sex.

26. *Atquin Franciſci Duareni computatio marito ſeptem aureos aſſignat hoc modo: quia in fructibus menſis vnus, ergo maritus habebit vnum aureum, porrò penſionis menſes ſunt tres, ergo proportio tripla largitur marito ſex.*

27. *Sed etſi non deſunt qui aliam atq; aliam computationem inſtituant, veluti Alciatus, Iohannes Robertus, attamen nos perſpicuam optimi Franciſci Duareni computationem tanquam veriorem & tàm vſu, quàm naturali æquitati magis conſentaneam amplectimur.*

28. *Papinianus lib. 11 quæſtionum à Claudio Seleuco propoſitarum tradit hanc regulam: Fructus diuidi non ex die locationis, ſed habita ratione præcedentis temporis quo mulier in matrimonio fuit.*

29. *Hanc regulam Vlpianus libro 31 ad Sabinum ſuperius propoſita facti ſpecie declarauit, eamque definit his verbis: ſi fine menſis Ianuarij diuortium fiat & quatuor menſibus matrimonium ſteterit, vindemiæ fructus & quarta portio mercedis inſtantis anni confundi debe-*

debebunt, vt ex ea pecunia portio tertia viro relinquatur.

30 Dum inquit Vlpianus quarta portio, nequaquam intelligi possunt quatuor aurei, sed tres solummodò, quia si duodecim sunt integri anni merces, tres aurei erunt quarta portio mercedis instantis anni, quemadmodum in seq. § ex contrario, pars duodecima mercedis pro vno vnius mensis aureo accipitur.

31 Sed cur integri fructus & solummodò quarta portio mercedis instantis anni coniunguntur ratio hæc est, quia maritus integros vindemiæ fructus præcedentis anni perceperat, vniuersum igitur perceptorum fructuum lucrum cum quarta portione anni ideo confundendum est, vt in diuisione non solius mercedis, sed & mercedis & fructuum ratio simul ineatur.

32 Quibus veritas superioris computationis non placet eos rogatos volumus, ne iustū examen suæ computationis reformident, nos ab euentu totius negotij, Duareni cōputationē ita probamus: posito quod maritus secundū tenorem primi casus ex fructibus perceperit XII et ex pēsione annua similiter XII expectet, nūquid hoc in casu maritus ratione duo-

duorum annorum habebit XXIIII? Ergo cum matrimonium, quod ſolummodo quatuor menſibus durauit, morte vxoris ſolutum ſit, habebit maritus vtiq; tantum, quantum ei pro rata quatuor menſium debebuntur, hoc eſt quatuor aureos.

33. Illud quoq; nobis dari & ſi fieri poteſt, non ſimulata, quemadmodum conſueuit, ſed vera ratione improbari cupimus, quod omnino neceſſe ſit fructus referri ad initium & finem eius anni cuius ſunt fructus.

34. Idq; propter differentem cuiuſque anni culturæ, vbertatis fructuum, & ipſius fundi rationem, aliàs enim vbertas fructuum fœcundi anni referretur ad ſterilitatem anni infœcundi, & conſequenter fructus dotis quando marito lucro eſſe deberent, ei damno forent. Nunc de præſcriptione feudi.

35. Quemadmodum in cæteris contractibus ſatis humanum & rationi congruum eſt, præſcriptioni locum eſſe: ſimiliter quoq; ſi quis per triginta annos rem aliquam vt feudum poſſedit, & ſeruitium domino exhibuerit, quamuis de ea re non ſit inueſtitus præſcriptione tamen triginta annorum ſe tueri poteſt. Sed

36. Sed vt vasallus præscriptione feudum acquirat, copulatiuè requiruntur hæc tria: Primò quasi possessio continua triginta annorum, quod temporis spacium Dd requirunt si vasallus mala fide possidet, quod si rem vti feudalem bona fipe possedit, sufficit decennium, quod secundum Ardizonem præsumatur solemnis concessio feudalis interuenisse.

37. Secundò requiritur titulus quod vasallus prædium, feudi titulo possiderit, quod si vasallus fundum ex causa pignoris triginta annis possederit, possessio triginta annorum ei nihil proficiet.

38. Tertiò quod vasallus domino seruitium præstiterit ad minimum semel, nec in hac rei feudalis præscriptione exigitur vt vasallus probet inuestituram.

39. Nam etsi inuestitura non apparet, attamen omnia retrò soleniter interuenisse præsumūtur. Illud quoq; sciendum est, quod præscripto feudo omnia accessoria præscripta intelligantur.

40. Sed pone prædium feudale quod à vasallo præscriptione acquisitum, postea à tertio occupatum est, is qui præscripsit cum domino in vindicando concurrit, Quæritur vtrum domi-

nus an is qui præscripsit præferendus sit? antiqua fuit quæstio inter Martinum & Bulgarum vtrum ei qui præscripsit rem competat dominum vtile, quemadmodum Bulgarus, Ioannes, & Accursius existimauerunt, an verè directum dominium? Nos cum Aluarotto respondemus si præscribens fuit bonæ fidei possessor, quod præferendus sit domino habenti actionem directam, secus si mala fide possidet.

Epilogus partis tertiæ, qualiter & quibus modis feudum acquiratur.

HActenus dictum est quomodo feudum communiter dicatur acquiri tribus modis, puta inuestitura, successione & præscriptione, quod quomodo intelligendum sit necessariò admonendi sumus. Quemadmodum proprietas communi iure non semper ab ipsa statim traditione vel eo quod vicem traditionis sustinet, ad alios transfertur; sed cùm stipulationis, aliorumq; contractuum interuentu, tùm testamenti solemnitate, veluti legitimis debendi causis præparatur L non solum 49 §. fin. De peculio L alienatum 67 De verborum signif. L non vt ex pluribus 159 De reg. iur. L filiusfamilias 39 De obligat. & action. Ita quoq; feudum non semper ab inuestitura propriè sic dicta initium capit, sed vel donationis, emptionis, permutationis siue cambij, & deniq;

niq; successionis causa, præparatur. Propriè feudum est beneficium siue donatio, quæ sub fidelitatis & seruitij lege inuestitura constituitur c. 23 §. fin. In quibus causis feud. amitt. c. 25. Quibus modis feudum constitui potest, vbi autor feudalis perspicuè docet feudum sine inuestitura constitui nullo modo posse, verum ex tempore, ius feudi, et deniq; ex eo quod habeatur pro inuestitura quasi feudum constitui d. c. 25. iuncto c. 33. De consuetudine recti feudi. Quod si Titio beneficium nominatim ita confertur ne fidelitas præstetur c. 24 §. 1 in fin. Quæ fuit prima causa benefic. amitt. c. 3 in fin. Per quos fiat inuestitura, c. 47. Qualiter dominus proprietate feudi priuetur, c. 16 De controuersia feudi apud pares termin. vel vt nullum seruitium pro feudo beneficium fiat c. 104. Casus quibus fœmina in feud. succedit. minus propriè feudum dicitur. d. c. 23 §. fin. Sed ei quod diximus feudum sola inuestitura constitui & successionis causa solummodò præparari, euidenter repugnare videtur c. 1 in fin. De cognitione feudi vbi Obertus inquit, sciendum est feudum neminem posse acquirere nisi inuestitura aut successione, atq; ita inuestitura & successio manifestè æquiparantur, & disiunguntur, quod euidentius apparet ex c. 11 De successione fratrum, vbi idem Obertus inquit: per successionem quoq; sicut per inuestituram beneficium ad nos pertinet, vt dicendum videatur, feudum æquè successione ac inuestitura constitui, quod tamen in d. c. 25 prorsus negatum est, Hæc meditatio dubios, at sequens de veritate certiores nos faciet, Obertus in d. c. 1 in fin. non loquitur de ipsius feudi constitutione, sed de causis quibus feudum possit acquiri, hoc est, acquisitio feudi præparari, atq; ita solum de abusiua inuestitura quemadmodum ex mox subsequentibus verbis in c. 2 satis luculenter intelligimus, Nam etsi (inquit Obertus) inuestitura propriè dicatur possessio, attamen quod

dixi

dixi feudum inueſtitura acquiri poſſe, hoc intelligendum eſt, de inueſtitura abuſiuo modo dicta, atq; ita nihil obſtat d. c. 1 quo vti dictum eſt inueſtitura abuſiua & ſucceſsio veluti debendi cauſæ æquiparantur, Quod idem Obertus manifeſtius docet, in d. c. 9 vbi ſic inquit, per ſucceſsionem quoq; ſicut per inueſtituram beneficium ad nos pertinet, nota quod inquit, ad nos pertinet, Quippè obligationis ſubſtantia pertinendi verbo communiter exprimitur, exemplum eſt in L ſi ager 50 De rei vendic. vbi ager etſi ex cauſa emptionis ad nos pertinet, tamen vindicari non poteſt, ſic quoq; per ſucceſsionem acquiritur liberis cauſa ſiue obligatio petendi, & hoc eſt quod inquit Obertus prima cauſa eſt liberorum, Porrò abuſiua inueſtitura rurſus vel ſimplicis donationis, vel emptionis vel permutationis lege quemadmodum diximus informatur, De quibus omnibus & ſingulis optimo maximo adiutore aliàs plenius dicemus.

DISPVTATIO VIII.

DE IVRE FEVDI, ET CAVSIS QVIBVS FEVDVM AMITTITVR, ex c. 5. & 17. quibus modis feudum amittitur, & c. 23. inquibus causis feudum amitt. cum c. seq. c. 52. & 55. de prohibita feudi alienatione per Lotharium & Fridericum cum concordantibus c. & §. in vniuerso iure feudali & ciuili.

in qua

Præside

CHRISTOPHORO VVENDINO *J. V. D.*

Respondebit

PETRVS DARGATZ

Gryphiſuualdenſis.

ROSTOCHII

Stephanus Myliander excudebat.

ANNO

CIↃ IↃ XIC.

POsteaquam ex definitione feudi substantiam, ex generibus naturam generaliter prospeximus, ad modos quibus feudum acquiritur transitum fecimus, nunc necessariò de iure legitimè constituti feudi admonendi sumus, quod ita fiet commodissimè si diuersos sibiq; cum ex parte domini, tum ex parte vasalli mutuò respicientes effectus veluti riuulos ex ipsius feudi substantia & natura profluentes, ex ijsq; rursus causas, quibus feudum perimitur, naturali iustitia descendere demonstrauerimus.

Thesis I.

SVbstantia feudi consistit in causa & fide, causa feudi ex parte domini complectitur, perpetuam sui beneficij auctoritatem, in principio recognitione, in medio competenti usu feudi, & demq; in exhibitione seruitiorum iugiter relucentem.

2. Ex parte vasalli causa feudi complectitur possessionem, primùm in rei immobilis apprehensione, fructuum perceptione, & demq; in propagationis continuatione manantem.

3. Fides atq; fidelitas vasalli potissimum consistit

sistit in tribus I. In vitæ & membri incolumitate. II. in secreti tutela, III. Et denique in honoris rectitudine, hoc est debitæ reuerentiæ honestate.

4 Dominus quoq; in his omnibus vicem fideli suo reddere debet, hoc est eandem fidem præstare, quam si non præstiterit meritò censebitur malefidus. Ex hisce principijs causæ quibus feudum amittitur naturaliter originem trahunt, quemadmodum ex sequentibus luculenter apparebit.

5 In primis rectè admonendi sumus eius sententiæ, quàm Obertum de Orto Aselmo filio suo rescripsisse legimus: causas quibus beneficium amittitur sub certa regula aut definitione rotunda non posse comprehendi.

6 Etenim cum culpa magis facti sit, quam iuris, efficitur vt causæ quemadmodum alicui domino ad ingratitudinem alicuius vasalli probandam possint sufficere, nullo certo modo possint definiri, maximè cum natura nouas deproperet edere formas.

7 Ideoque iudex solers & discretus, & æquitati obsecundare sollicitus cuncta vtiliter

ter dispensans, prouideat si qua antiquioribus causis fuerit similis vel maior, puta in causa exheredationis, ingratitudinis, qua etiam donationes iure perfectæ reuocantur, vel repudij, qua matrimonia rectè contracta dissoluuntur. Atq; ita bonus iudex variè ex personis causisq; definiet, cum omnia hæc vertantur in causa cognitione hoc est in facto consistant. Sed etsi causæ quibus feudum amittitur, rotunda definitione enumerari non possint, attamen iudicis animus quibusdam generalibus præceptis probè erudiendus & informandus est.

8. Natura feudi hæc est vt princeps non possit capitaneos suos sine culpa deuestire, Quippe dominum Lotharium Imp. ita constituisse accepimus: Sancimus inquit, vt nemo miles sine cognita culpa beneficium suum, amittat, si ex culpis vel causis conuictus non fuerit quas milites usi sunt nominare, quando fidelitatem faciunt dominis suis.

9. Generaliter sciendum est, dominum sine legitima causa, quæ tàm naturali quàm ciuili ratione suffulta est, vasallum feudo priuare non posse, etiam de plenitudine potestatis.

Illud quoq; recordandum est, promptiores non esse debere ad absoluendum quam ad condemnandum.

11. *Vt vasallus feudi amissione mulctetur non sufficit omnis occasio, per quam fidelis accepti beneficij videtur ingratus, sed secundum mores curiarum feuda non nisi ex causis egregiæ ingratitudinis adimi solent, ea autē est egregia ingratitudo quæ substantiæ feudi aduersatur.*

12. *Sed ut iudex egregiam ingratitudinem ab alijs leuioribus offensis eo certius & rectius possit dignoscere Ortensius in c. 23. proponit ipsam feudi definitionem atq; ostendit omnes feudi amittendi causas ex ea descendere.*

13 *Supra dictum est domino vel vasallo mortuo teneri vasallum, vel eius heredem intra annum & diem à domino feudum recognoscere, hoc est fidelitatem pollicendo inuestituram petere, quod si intra prædictum tempus neglexerit petere inuestituram tanquam ingratus existens beneficium amittit.*

14 *Similiter si vasallus feudum, vel feudi partem, aut feudi conditionem, hoc est seruitium feudo impositū, ex certa scientia inficiando*

pror-

prorsus abnegauerit, & deinde conuictus fuerit, ex eo quod abnegauit feudum eius vel conditionem, expoliabitur.

15 Ignoranti, & dubitanter per verbum nescio respondenti subuenitur, sed dubitanti & tamen inficianti non subuenitur, nam si dubitet, dubitanter quoq; respondere debet.

16 Sed vt vasallus ex causa abnegationis feudum amittat, requiritur vt ex certa scientia ipsum feudum inficietur, Quod si vasallus aliam rem domini celauerit vel alius vasallus sciens esse feudum hoc ipsum non patefaciat, feudum tamen non amittit.

17 Vtq; vasallus ex causa neglectæ recognitionis feudum amittat, duo requiruntur, primò decursus anni & diei, secundò requiritur dolus quod vasallus dolosè intra annum & diem inuestituram petere neglexerit. Hæc de recognitionis primordijs, porrò consistit recognitionis continuatio in moderato vsu feudi, & competenti seruitiorum exhibitione.

18 Vsus feudi vsufructui similis est, atq; ijsdem regulis quibus vsusfructus, consistit, quemadmodū enim fructuarius (vt Vlpianus inquit) cau-

causam ꝓprietatis deteriorem facere non debet, sed meliorem facere potest, ideoq; arbores frugiferas excidere non debet, neq; villam diruere, necquicq̃ facere in perniciem proprietatis, ita quoq; Obertus eandem regulam proponit his verbis: Meliorem namq; conditionem feudi facere potest, deteriorem vero sine domini voluntate vel eorum agnatorum ad quos per successionem pertinet, facere non potest.

19 Et generaliter quemadmodũ vsusfructus abusu amittitur ita quoq; feudum, abutitur vasallus feudo, primùm si arbores fructiferas incidat, bona dissipet et destruat, subditos acerbè tractet, deinde abutitur feudo, si alienando causam proprietatis interuertat, vel seruitia domino præstare neglexerit, de quibus causis separatim dicemus.

20 Optima consuetudine interdicta est feudi alienatio super qua multæ et diuersæ sentẽtiæ dabantur in singulis ciuitatibus seu curijs donec Imp. diuæ memoriæ Lotharius tertius promulgauit super hoc nouam constitutionem, quæ posita est in titulo de beneficijs.

21 Constitutio Lotharij hæc est: Hæc edictali

lege

lege in omne ævum Deo propitio valitura decernimus nemini licere beneficia quæ à suis senioribus habent sine ipsorum permissione distrahere, vel aliquod commertium aduersus tenorem nostræ constitutionis excogitare, per quod imperij vel dominorm minuatur vtilitas.

22 Quod si vasallus contra hanc Lotharij constitutionem beneficium alienauerit totū, predit totum, si partem perdit partem, et ad dominū reuertitur, similiter si communis vasallus vni feloniam fecerit, eius solius parte priuabitur.

23 Notarius verò siue scriba qui super huiusmodi contractu libellum vel aliud huiusmodi instrumentum conscripserit ex constitutione Lotharij amittit officium & famam, ex constitutione Friderici præter officij & famæ amissionem amplius manum perdit, puta si Notarius legitimam ætatem, hoc est XXV. annos compleuit, aliàs ei non amputetur manus, quòd Baldi testimonio, instrumentum reuera non sit falsum, sed temerarium.

24 Pro pleniori prædictarum constitutionū intellectu probè sciendum est, quomodo alienationis appellatione vtamur, quandoq; vtimur

alienationis appellatione p venditione, sed propriè alienatio est omnis actus per quem dominium transfertur.

25 Et sic alienationis appellatione continetur vsucapio, mancipiorum manumissio, & deniq; omnes contractus, qui venditioni æquiparantur, veluti permutatio, quam vicem emptionis obtinere non est incogniti iuris, Donatio, qua olim dominium non transferebatur nisi is qui voluit donare vno nummo rem vendidisset. Legatum, Fideicommissum, Mortis causa donatio, Hereditatis acquisitio, Diuisio quoque & Oppignoratio alienationis instar inducunt.

26. Posteaquam itaque vasallo alienatio prohibita, manifestum est, vasallum non posse feudum sine voluntate domini vendere, cambire hoc est permutare, pignorare, ad libellum, vel emphyteusin, vel in dotem dare, neque ad longum tempus locare.

27. Neq; legare, neq; inter viuos neq; mortis causa donare, neq; pro anima iudicare.

28 Cæterum etsi fructuarius non habet neq; fundi neque seruitutis vindicationem, attamen

vasal

vasallus rei per beneficium rectè inuestitæ hanc habet potestatem vt tanquam dominus possit à quolibet possidente sibi quasi vindicare, & si ab alio eius nomine conuematur, defensionem opponere.

29 Seruitutem quoq; feudo imponere et transigere rectè potest, sed vt vasallus de feudo transigere possit duo requiruntur. 1. Quod fuerit res dubia & incerta, quod si iura vasalli sunt liquida, præsumitur fraus, 2. Quod vasallus sincerè & bona fide transegerit, potest quoq; vasallus quando voluerit feudum refutare, & alteri in feudū dare, de quibus singulariter dicendum est.

30 Vasallus non tantùm voluntate domini, sed etiam sine domini voluntate rectè feudum refutare potest, resutare beneficium est feudum ijsdem symbolis quibus acceptum est, in manus domini dimittere.

31 Ratio permissæ refutationis versatur in vtilitate regni, nam etsi beneficia quæ Reipublicæ vtilitatem concernunt, inuito rectè conferuntur veluti libertas, attamen cùm militaria seruitia natura sui inprimis promptitudinem animi ad omnes fortunæ vices, facilè subeūdas spōte sua

parati atq; corporis robur ꝓpter celeritatē rerum expediendarū desiderent, dubium non est inuitum vel decrepitæ ætatis vasallum habere, domino magis obfuturum quam profuturum.

32 Sed vt refutatio ritè fiat neq; agnatis vel ipsi domino damno cedat, naturalis ordo seruandus est, vt feudum refutetur domino, primùm in gratiam filiorum suorum, deinde si antiquum vel paternum feudum est, in gratiam proximioris agnati, deniq; simpliciter in gratiam domini, quæ refutatio donec refutans viuit, prodest domino, mortuo refutante feudum ad liberos, etsi paternum fuerit etiam ad agnatos diuoluitur.

33. Illud generaliter sciendum est, refutationem tempestiuè fieri debere, quod si Vasallus in ipso procinctu belli, quo dominus opera vasalli egeret atq; ita intempestiuè feudum refutauerit, nullius momenti est refutatio.

34. Quod dictum est vasallum sine domini voluntate feudum refutare posse, communiter Dd. intelligunt, quando seruitium à vasallo indeterminatè est promissum, sed c. 38. De vasallo qui contra constit. Lotharij, indistincte intelligendum esse verius est. Post

35 Post refutationem non tenetur vasallus ad seruiendum atq; ita refutatione extinguitur militaris muneris ratio, sed offendere dominum propter memoriam præcedentis beneficij non debet, & siue vasallus sua voluntate, siue iudicio parium feudum dimisit fidelitas nihilominus durat, sed si voluntate vtrorumq; separatio facta fuerit, finitur.

36 Potest quoq; vasallus feudum sine consensu domini alteri subinfeudare, sed vt beneficium à vasallo in feudum rectè dari possit sequentia diligenter custodienda sunt: primũ vt secunda persona sit talis quæ feudo seruire possit, veluti si dans miles est, & ille qui accipit inueniatur miles vt domino similiter vt prior seruire possit.

37 Secundò vt eadem lege det qua ipse habeat, vt si habeat sibi suisq; heredibus (quod intelligi debet de solis masculis) non debet alij dare, vt habeat ipse & sui heredes masculi & fœminæ.

38 Deniq; generaliter & probè attendendum est vt nihil in fraudem legis, sed omnia syncerè, bona fide, & sine fraude fiant.

39 Rationem permissæ subinfeudationis quidam

dam hanc tradunt q; ſub infeudatio ſit donatio quædam, ad quam homines difficilius accedunt, ſed quia neq; donare, neq; vendere licet, cum illud & moribus & legibus prohibitum ſit, verior ratio eſt quod apud Paulum Juriſconſultum Diuum Hadrianum Imperatorem reſcripſiſſe legimus, ſe ampliari imperium hominum adiectione potius quam pecuniarum copia malle, atq; hæc ratio commendatur argumento, quod vaſallus qui beneficium accepit & alteri in feudum dedit nihilominus ſuo domino ſeruire cogatur.

40. Noui feudi ſubinfeudatio valet etiam in præiudicium heredum & quorumcunq; ſucceſſorum, verum ſi quis paternum vel antiquum feudum alteri in feudum dederit ſubuaſallus ſolummodo ad vitam infeudantis feudum habebit, mortuo vaſallo, feudum reſoluta ſubinfeudatione ad proximiorem agnatum deuoluitur. Hæc de recognitione & competenti vſu feudi atq; ex ijs deſcendentibus cauſis quibus feudum amittitur.

Coronis.

Ardua & latè diffuſa quæſtio eſt, vtrum vaſallus alteri feudū dando vtile dominium in ſecundā perſonam transferat?

ferat? & vtrũ subuasallus in feudi alienatione domini superioris vel proximioris, an verò vtriusq; consensum adhibere debeat? Communiter Dd. tradunt vtile dominium in subuasallum transferri, & nihil remanere penes vasallum nisi vmbram pristini dominij Beluisius & Baldus c. 1. vers. insuper De prohib. feud. alien. per Frideric. & in c. 3. §. similiter De Lege Corradi per L. ex asse ad Trebell. alias enim inquiunt sequeretur absurdum tàm in iure ciuili quàm feudali, in iure ciuili quòd plures in solidum vnius rei domini constituantur, contra l. 3. §. ex contrario De acquir. possess. quod & de vtili dominio verum est argument. L. 1. & 2. Si ager vectigal. Baldus in c. primo §. similiter De lege Corradi & licet alias vtilis actio præfertur directæ, attamen hoc casu (inquiunt) apud vasallum nulla est vtilis actio, vnde sequitur quod directa actio habeat vim directæ & vtilis actionis Bel. & Baldus in d. §. similiter per L. si heres ad Trebell. In iure feudali absurdum suboriretur quia vasallus pro vno feudo plures dominos habere compelleretur, contra c. 55. §. præterea ducatus De prohib. feud. alien. per Frid. c. 77. Si plures sint domini & c.c. 102. Non cogi vasallum pro vno feudo duas fidelitates facere Specul. hoc tit. §. quoniam n. 51. Sed de iure verius existimo vasallum vtile dominium quod habet retinere. I. per text. c. 34. §. in quibusdam De lege Corradi quod ita habet, in quibusdam curijs vltra tertiam personam feudi concessio non extenditur, vt cum feudum peruenit in quartam personam ei auferre dominus possit, nota quod autor feudalis subinfeudationem nominat feudi concessionem. Quippe aliud est cedere aliud concedere gl. L. si vsusfructus 66. De iure dotium Exemplum est in vsufructuario qui alij rem fruendam concedere vel locare vel vendere potest, nam & qui locat vtitur,

cur, & qui vendit vtitur, sed etsi alij precariò concedat, vel donet, puto eum vti, atq; ideò retineri vsumfructum L. arboribus 12. §. vsufructuarius De vsufruct. sed vsumfructum nisi domino proprietatis cedere, non potest, Quod si extraneo id est ei qui proprietatem non habeat, vsumfructum cedat, nihil ad eum transit, sed vsusfructus ad dominum proprietatis reuertitur d. L. 66. II. quia vasallus qui feudum alteri dedit, subinfeudatione non amittit sed retinet beneficium, & præterea domini titulum acquirit d. c. 34. §. similiter vers. in quibusdam De lege corradi d. c. 55. vers. illud quoq; ibi vasallus idemq; dominus De prohib. feud. alien. per Frideric. III. Quia subuasallus non est vasallus superioris sed proximioris domini, quemadmodum enim socius mei socij, non est meus socius, & libertus liberti mei non est meus libertus, ita quoq; vasallus mei vasalli, non est meus vasallus gl. in L. de accessoribus & ibi Bart. De diuers. & tempor. præscript. Euerhard. in loco à liberto ad vasall. aliàs enim inuitus dominus alium quam quem voluerit sibi acquiret vasallum c. 12. in fin. De duob. fratrib. de nouo benef. Sed quod diximus vasallum facta subinfeudatione vtile dominium quod habet retinere, intelligendum est de vtili dominio vniuersi feudi quod vasallus accepit, Sed si vasallus partem aliquam feudi alteri in feudum dederit vtile dominium non in solidum sed pro parte transfert in subuasallum d c. 55. §. illud, ibi maiorem dominum, Nam etsi vasallo competat in rem actio, aduersus quemuis possessorem, attamen simpliciter ratione vtilis dominij propriè non efficitur dominus L. 1. Si ager vectigal. quamuis ita dicatur arg. L. 12. C. De fund. patrim. L. qui scit §. 1. vers. porrò. De vsuris, L. in venditionem 8. De rebus autor. iud. poss. Sed ex subinfeudatione legitimum domini titulum adipiscuntur d. c. 34. vers. in quibusdam & d. c. 55. §. illud &c.

DISPVTATIO IX.

ALTERA

DE IVRE FEVDI, ET CAVSIS QVIBVS FEVDVM Amittitur, ex c. 21. de feud. sine culpa non amitt. c. 26 §. etsi vasallus. & §. licet & §. qui clericus Si de feudo defuncti, c. 28. §. fin. Hic finitur Lex. Item ex c. 5. & 17. quibus modis feud. amitt. c. 24 .§. Item qui & §. præterea, quæ fuit prima causa. c. 27. An ille qui interfecit fratrem. Item ex c. 30. 36. 40. §. fin. & c. 109. cum similibus:

in qua

Præside

CHRISTOPHORO VVENDINO *J. V. D.*

Respondebit

OTTO DENCKERVS

Sulingensis.

ROSTOCHII

Typis Myliandrinis

ANNO

CIↃ IↃ XIC.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0121

Συνέχεια.

Dictum est quomodo recognitionis primordia in moderato vsu feudi perpetuò continuentur, proximum est vt de seruitiorum exhibitione & fidelitate, ex iisq; descendentibus causis quibus feudum amittitur disseramus.

Thesis I.

PRincipio ex superioribus memoria recolendum & singulariter notandum est ad propriam feudi substantiam militaria seruitia pertinere.

2 Sed non cogitur vasallus omninò secundum vsum Mediolanensem dominum adire, & seruitium ei offerre, sed cum nunciatum ei fuerit, tunc domino, si potest, seruiat: quamobrem etsi vasallus seruitia non offerat vel omni anno domino se non repræsentet, feudum tamen non amittit.

3 Si tamen sciuerit magnum domino imminere periculum, veluti eum obsideri vel aliter ei mortem imminere, hoc casu vltrò debet in auxilium accurrere.

4 Etsi vasallus quantocunq; tempore puta viginti annis & vltra, steterit, & domino non

seruierit, feudum non amittit, dummodo domino petenti seruire paratus sit.

5 Rationem cur vasallus non nisi vocatus domino adesse debeat Caius hanc reddit: absurdum est (inquit) alia die deberi officium quàm qua is vellet cui præstandum est, & Vlpianus inquit, iudicium de operis tunc locum habet cum operæ præterierint, præterire autem non possunt antequam incipiant cedere, & incipiunt posteaquam fuerint indictæ.

6 Posteaquam itaq; delectus militibus edictus est, vasalli in militiam eant, vel vicarium mittãt, vel certum censum domini ærario inferant, qui nostris dicitur Heerschuldt aliàs Heribannũ à Germanico Heer id est, exercitu, & banno, hoc est edicto vel citatione.

7 Tenenturq; indistinctim omnes vasalli soluere Heribannum etsi plebeius sit, vel feudum adeò vile sit, vt possessor ex eius reditu non possit se, aliumue, in expeditione exhibere, quippe hoc casu alius miles pro modo redituum adiungendus est.

8 Huc pertinet Friderici Imp. constitutio, qua firmiter statuimus (inquit) tam in Italia, quam

in

in Alemania vt quicunq; indicta publica expeditione Romam ad suscipiendam imperij coronam, regem aut sub rege dominum suum non adiuuerit, aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiæ persoluendo, feudum perdat, inquit stipendia militiæ, hoc est, dimidium reditus feudi vnius anni.

9 Sed etsi maxima cura vasalli versari debet in tuenda incolumitate domini sui, attamen ita ne propriam animæ vel corporis salutem perdat.

10 Quamobrem domino guerram alicui faciente vasallus circumspectè & sobriè attendat, vtrum dominus iustè vel irrationabiliter alteri guerram faciat, si notorium est quod irrationabiliter eam faciat, adiuuet eum ad eius defensionem, ad offendendum verò alium, non cogitur dominum adiuuare, quod si vulgò dubitatur vtrum dominus iustè vel irrationabiliter guerram faciat vasallus eum adiuuare tenetur.

11 Verùm callidis & sceleratis domini conatibus vasallus domino patrocinium defensionis præstare non debet, quod hoc ipsum, Baldo teste, legibus & ipsi naturæ contrarium sit.

12 Quod si iniustè præliantem cæperit iuuare poterit desistere, quòd tantò grauius peccet, quantò diutius iuuat, & quòd in paucis sufficiat amici laboribus succurrere.

13 Inquiunt Obertus & Gerardus si irrationabiliter, adiuuent eum ad defensionem; huiusmodi iuuamen consistit in dissuadendo, tolerabilibus pacis conditionibus componendo guerram, vel etiam in leuiter velificando, ad eum finem vt honos domini illibitus permaneat.

14 Hoc loci incurrit inspectio vtrum vasallus dominum suum contra parentem teneatur adiuuare? autor feudalis inquit contra omnes debet vasallus dominum adiuuare & contra fratrem, & filium, & patrem, nisi contra alium antiquiorem.

15 Qui textus duritiem & iniquitatem continere videtur, sed omninò intelligendus est de auxilio præstando domino, qui pro defensione patriæ legitimum bellum gerit, quo casu si vasallus eodem tempore dominum & parentem viderit periclitantem dominum adiuuare debet, sed ita vt dominum defendat, neque ipse parentem offendat.

Nam

16 *Nam parentibus Romanis (vt Paulus inquit) & patria & disciplina castrorum antiquior fuit, quàm caritas liberorum, sed si vasallus extra legitimos belli tramites & patriæ defensionem eodem tempore viderit & dominum & parentem periclitantem, domino derelicto, rectè & rationabiliter parenti suppetias feret.*

17 *Cæterum ad prælium quando ventum est vasallus non debet fugere, sed cum domino laborare, Quod si vasallus dominum morantem in ipso prælio dimiserit non mortuum nec ad mortem vulneratum, feudum amittere debet.*

18 *Inquit textus non mortuum, nec ad mortem vulneratum, ex quo efficitur vasallum non debere dominum suum ante dimittere, quàm si ita fuerit vulneratus sit, vt etiamsi non dimitteret, nihilominus periturus esset.*

19 *Quamobrem & si quis cum domino in prælium iuerit, & postea eundem in acie periclitantem dimiserit beneficio se indignum eo ipso indicauit, & maximè si cum potuerit cum domino non laborauerit, beneficium amittat.*

Prote-

20 Præterea si vasallus resciuerit aliquem contra dominum suum assultum, vel captionem aut patrimonij grandem iacturam facere molientem, debet dominum super hoc, quam citius potest, certiorare vt perinde dominus sciens prudensq; periculum valeat declinare, quod si non fecerit, doloq; vel negligentia sua vel fraude celauerit, beneficio se cariturum agnoscat.

21 Tandem si vasallus adhibita summa animi & corporis industria atq; labore, non potuerit dominum ita iuuare vt victoriam obtineret, sed aduersante fortuna ab hostibus capiatur dominum suum vasallus neq; in carcere deserere, sed pro redemptione domini ab hostibus capti λύτρον conferre debet. Hæc sunt saluberrima iuris feudalis præcepta quæ exemplis historiographorum & Poëtarum præcipuè Vergilij lectione vtiliter collustrantur.

22 Quod si vasallus sepositа omni humanitate, contra ius gentium scienter suum seniorem assilierit, beneficio carere debet, idem est si castrum vel vicum domini, sciens dominum vel dominam ibi esse, per vim aggressus fuerit, vel impias manus in personam domini vbicunq; ingesserit.

Et

23 *Et si quis dominum suum prodiderit feudum amittit.*

24 *Imò vasallus siue dominum siue fratrem domini vel quemlibet hominem proditoriè interfecerit, feudum amittit.*

25 *Si tamen vasallus fratrem domini sine proditione interfecerit non ideo beneficium amittit.*

26 *Sed si fratrem suum interfecerit adhoc vt totam hereditatem haberet, feudum amittit, Idem est si aliud graue crimen commiserit quod parricidij appellatione continetur.*

27 *Ratio differentiæ est, quod in feudis magis ius feudi quam personarum affectio spectanda sit, nam ille qui fratrem suum occidit ex natura feudi plus peccat sed is qui fratrem domini occidit non peccat respectu feudi, quòd à fratre domini idipsum non recognoscat.*

28 *Interim tamen qui fratrem domini interfecit, versatur in maximæ offensæ, vitæq; periculo, cuius nomine iudicium parium subire debet.*

29 *Hoc loci generaliter notandum est vasallum propter feloniam & proditionem sine dede-*

core in curia stare non posse, atque ideò feudum amittere, quòd deinceps quoq; sine fide præsumatur, hinc Baldus notabiliter inquit, infamis & proditor non debet videre faciem principis, sed debet esse alienus ab omni facie dominorum & principum.

30 Ex superioribus efficitur quod clericus nullo modo in beneficium paternum succedere debet, etiamsi posteaquam habitum religionis assumpserit, postposuerit, & si quis clericus efficiatur aut votum religionis assumat, hoc ipso feudum amittit.

31 Ratio est quod arma bellica deponendo factus sit miles Christi, atq; ita desierit esse miles seculi. Nec beneficium pertineat ad eum qui non debet gerere officium.

32 Scriptum est enim in diuinis eloquiis, miles Christi seruit at Christo, & milites seculi seruiant seculo. Hinc & iure & moribus receptum est, vasallum clericali militiæ se dedicantem feudum amittere, sed allodia venerabilem domum sequuntur.

33 Mutus quoq; qui nullo modo loquitur, item surdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus

Eius feudum retinere non possunt, quia seruire non valent, sed si feudum fuerit magnum, quo ei ablato se exhibere non valeat, tantum ei relinqui debet vnde se sustinere possit.

34 *Porrò grata & prompta vasallorum fides amplius quoq; in alimentorum, natalitij, nuptalitij, & dotis collatione elucere debebit: Quippe tenetur vasallus domino ad egestatem vergenti alimenta subministrare.*

35 *Sed etsi in elocatione filiæ dominicæ subditi de iure non tenentur conferre dotem, attamen de consuetudine subditi tenentur dotem conferre, & nuptalitium ad festiuitates filiæ dominicæ elocandæ suppeditare, non tamen debet dominus excoriare subditos.*

36 *Ratio consuetudinis est quod ex dotatione filiarum diminuatur patrimonium & status domini, qui vt integer conseruetur pluribus in locis vsu receptum est vt subditi in elocatione filiæ conferant dotem, sed ad spurij elocationem subditi non tenentur conferre, quod pater non teneatur dotare spuriam.*

37 *De cætero si vasallus credentiam ad damnum domini scienter manifestauerit, beneficio*

ficio carere debet, Sic iure ciuili consiliorum renunciatores aut viui exuruntur, aut furcæ suspenduntur, nam expoliatores qui secreta renunciauerunt hostibus, proditores sunt & capitis pœnas luunt.

38 Deniq; debet vasallus rectum honorem domini custodire, rectum honorem hoc est vsui & iuri gentium congruum honorem, cui opponitur omnis contumelia quæ ad infamiam alicuius pertinet, veluti si fidelis cucurbitauerit dominū, id est cum vxore eius concubuerit, vel concumbere exercuerit, aut cum ea turpiter luserit, hoc est eius pudicitiam attentauerit, nec enim ludus dici poterit in quo est culpa, & ex quo crimina & flagitia oriuntur.

39 Vel si cum domini vel dominæ filia, aut sorore in domo adhuc manentibus atq; ita virginibus, quæ in capillo esse dicuntur, concubuerit, vel se immiscuerit, feudo, quo se monstrauerit indignum, carere debet.

40 Item si accusauerit dominum vel testimonium aduersus eum in causa criminali tulerit, feudo carebit, nam quicunq; prohibetur accusare, idem neq; testis esse potest, secus tamen est, si vasallus fuerit aduocatus aduersus dominum, quo tamen in casu distinctio Iserniæ locum sibi vindicabit, Prudentes vasalli et aduocati etsi extraneis principibus operam suam indefinitè promittunt, vel locant, semper patriam suam & suæ patriæ parentem nominatim excipiunt.

Coronidis vice quæritur.

1 Cuius sumptibus vasallus in militiam eat.

2 Quis ex veteribus iuris feudalis interpretibus rectius interpretatus fuerit c. 26. §. Titius. Si de feud. defuncti.

DISPVTATIO X.

DE IVDICIIS ET PRO-CESSV FEVDALIVM CONTROVERSIARVM.

Exc.16. De controu.feud.apud pares termin.c.20. De controuerſ. inter Epiſ. & Vaſal. c. 30.§. ſi inter dominum. De aliena. pater. feud. c.55. §. fin. verſ. præterea ſi inter. De prohib. feudi alien. per Frideric. cum materiis concordantibus ex vniuerſo iure feud. & communi.

in qua

Præſide

CHRISTOPHORO VVENDINO J. V. D.

Reſpondebit

LVCAS LVDECVS
Hauelb.

ROSTOCHII
Typis Myliandrinis
ANNO
CIↃ IↃ XIC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0133

Συνέχεια.

QVia exhausti laboris mensuram nosse voluptatis est, & scire quantum supersit, hortatur ad reliqua fortius persequenda: Posteaquam feudi substantiam, naturam, causas constituendi & amittendi feudi perspeximus, reliquum est vt feudalium contentionum fontes, quotidiè nouis causarum figuris dubitatione augescentes, in judicio atq; processu feudalium controuersiarum & deniq; in actionum feudalium enucleatione dispiciamus.

Thesis. I.

IN feudalibus controuersijs prima occurrit quæstio, quis sit competens judex qua in re ita distinguendum est. Si inter Dominum & vasallum lis oriatur, per pares curiæ à domino sub fidelitatis debito coniuratos, terminetur.

2 Huius decisionis primum vsu receptæ & postea L. Corradi atq; Friderici Imperatoris constitutione comprobatæ ratio est, quod jurisdictio parium curiæ competat ex contractu feudi. Nam eo ipso, quod dominus feudum alicui concedit, tacitè intelligitur, se parium curiæ judicio, in omni-

in omnibus omnino causis & litibus, ratione illius feudi motis, subijcere.

3 Hæc ratio comprobatur eo argumento, quod causæ feudales natura sui celerem requirunt expeditionem: aliàs enim milites forensibus controuersijs in remotioribus locis implicati, à cura rei militaris auocarentur.

4 Accedit, quod cuiusq; curiæ singulares inueniantur consuetudines, de quarum veritate cuiusq; curiæ paribus magis quàm aliis constare potest. Ex hisce & similibus causis usu paulatim accreuit autoritas parium curiæ, qui querelam domini vel vasalli auditis hinc inde rationibus, intra anni spacium expedire faciant.

5 Cæterùm vt in quotidiana hac illustrium controuersiarum materia methodicè procedamus, in primis qualitas rei litigiosæ, & deinde parium curiæ persona spectanda est.

6 Qualitas rei litigiosæ requirit, primò vt lis controuertatur inter dominum & vasallum eiusdem domini, quod si vasallus à domino nullum aliud feudum habet, nisi controuersum, ad ordinarium iudicem recurrendum est.

7 Nec ad rem pertinet, etsi vel dominus, vel

vnus

vnus ex litigantibus sit persona alias priuilegiata, veluti Scholaris in studio degens: quia nihilominus cognitio causæ feudalis ad pares curiæ pertinet.

8 Idem dicimus, etsi sit Princeps secularis, vel Ecclesiasticus, vel in alia regali dignitate constitutus.

9 Imò etsi dominus feudi sit ipse Imperator, qui non recognoscit superiorem. Nam certum est non recognoscentes superiorem in suis contractibus iure communi, & quidem eodem, quo priuati utuntur, iure uti.

10 De eo quoq; dubitandũ non est, etsi vnus ex litigantibus, siue dominus, siue vasallus fuerit ciuitas, respublica, vniuersitas, vel collegium.

11 Neq; refert, vtrum dominus sit actor, siue reus, siue simul actoris & rei partibus fungatur.

12 Secundò, vt lis sit de feudo, quod si lis est de regalibus, vel re allodiali, Imperator vel ordinarius erit competens iudex.

13 Tertiò, vt ex condictione feudi agatur.

14 Inspectio pariũ curiæ compluria desiderat. primò, Quod sint partes curiæ, hoc est, à domino sub fidelitatis debito coniurati.

15 Etenim respectu iuramenti fidelitatis, quod domino pariter præstiterunt, dicuntur pares, atq; ita cæteris vasallis eiusdem curiæ siue curtis, hoc est, domus pares sunt. Quippè hi solummodò iudices eliguntur, qui domino fidelitatem iurarunt, qui non iurauit, pro pari non est eligendus.

16 Sed illud non requiritur, quemadmodum Præpositus & Iacobinus voluerũt, vt pares curiæ ratione rei litigiosæ nouum iuramentum præstent, nisi consuetudine receptum sit.

17 Secundò requiritur, quod sint pares eiusdem curtis, hoc est, quod habeant feuda in eadem ditione, & in eodem territorio feudi litigiosi.

18 Hinc efficitur quod vasalli, qui ab eodem domino in alio Ducatu feuda tenent, veluti Electoris Saxonici vasalli alij feuda tenent in Myssia, alij in Thuringia, non censeantur esse pares curiæ respectu aliorum vasallorum, qui in alio districtu feuda ab eodem domino possident, sed requiritur, vt solummodò in eodem territorio, & in eadem curia feudi litigiosi beneficia habeant.

Nisi

19 *Nisi pares curiæ in vno districtu defecerint, quo casu vicina prouincia eiusdem Principis recte aditur.*

20 *Dummodò duæ illæ prouinciæ ab eodem domino, eodem generali titulo possideantur: alias ex vicinis prouinciis non adhibentur pares curiæ, licet domini, qui illas prouincias habent, sint confœderati.*

21 *Tertiò requiritur, quod sint habiles ad iudicandum: neq; sufficit, quod pares curiæ ab initio fuerint habiles, sed requiritur, quod permanserint habiles vsq; ad sententiam definitiuam, quod si pendente lite, ante sententiam definitiuam, qualitatem vasallagij amiserint, alij constituendi sunt.*

22 *Cumq; supradicti textus de paribus Curiæ generaliter & indistinctim loquantur, à nobis non sunt distinguendi, sed generaliter & indistinctim procedunt.*

23 *Quamobrem non interest, vtrum pares curiæ sint laici & litigantes, vel vnus ex eis sit clericus.*

24 *Deinde non refert vtrum pares curiæ sint maioris dignitatis vel præeminentiæ, quam est*

vasallus, qui cum domino de feudo litigat, quia dignitas vel præeminentia maior non mutat statum vel condicionem, nec eximit quenpiam de consortio eorum, qui eandem qualitatem habent.

25 Neq; interest, vtrum sint vel antiqui vel noui etiam præcedente hora effecti vasalli, quia præsens status semper inspicitur.

26 Deniq; non refert, etsi ex paribus curiæ quis vel minimum habuerit feudum, sed de iure Saxonico dimidium mansum habere debet.

27 Quod si dominus & vasallus consenserint in eligendis paribus nulla dubitatio est, si verò dissentiant, dominus debet eligere prius, quem aut quos voluerit, & vasallus similiter hoc faciat secundum numerum à domino comprobatum. Si vasallus diuerticula quærat, à Domino electi causam dirimant soli: quia alias in vasalli potestate positum esset iudicium eludere.

28 Sed si inter duos vasallos de feudo sit controuersia domini sit cognitio, & per eum controuersia terminetur. Nec ad rem pertinet, etsi dominus alioquin omni iurisdictione careat.

Sed

29 Sed vt dominus feudalem causam cognoscat, requiritur primò, vt constet litigantes esse vasallos eiusdem domini, hoc est, quod ipsi vasalli se esse conuasallos eiusdem domini fateantur.

30 Secundò, quod inter eiusdem domini vasallos lis controuertatur non de toto feudo, sed de aliqua eius parte.

31 Tertiò attendendum quoq; est, ne causa ad dominum quodammodò spectet, veluti, si agnati ex causa successionis vendicent feudum quasi paternum, quod dominus credens sibi apertum alij per inuestituram totum tradiderit, hoc casu quia inuestitus ad dominum habet regressum de euictione, coram paribus curtis causa finiatur.

32 Sed plerumq; dominus habet vicarium, qui inter conuasallos de causis feudalibus iudicet, & iudex curtis dicitur.

33 Porrò si inter duos vasallos controuertatur, & vterq; suum proprium feudum esse dicat, hoc est, ambo prætendant, se feudum proprium per inuestituram habere, hoc casu, quia dubitatur vter ex litigantibus sit vasallus, iudices vel arbitri sunt competentes iudices.

Deniq;

34 Denique si inter duos de feudo controuertatur, atque vterq; contendat antiquum & suum feudum esse, hoc casu dominus cum sua curia litigantes vocare potest, & nemini eorum licet illius domini vel curiæ examen declinare. Hæc de competente iudice in causis feudalibus.

35 Cæterùm in cognitione causarum feudalium competens iudex ordinarium juris processum seruare debet. Primum omnium itaq; debent pares curiæ ad instantiam domini vasallum in ius, hoc est, curiam vocare.

36 Et quamuis libertus patronum non nisi petita venia in ius vocare possit, vasallus tamen veniam petere non tenetur.

37 Quod si vasallus vocatus non venerit, iterum debet vocari, vsq; in spacio tertio, hoc est, tribus vicibus, septem vel decem dierum spacio totiens interposito. Quod si neq; venerit ad tertiam vocationem, hoc ipso feudum amittat, & ideò debet curia dominum mittere in possessionem.

38 Porrò debet actor libellum offerre, & reus litem contestari. Reconuentionem quoq; reus instituere

stituere potest. Sed iuramentum calumniæ neq; dominus à vasallo, neque vasallus à domino exigere potest.

39 In probationis materia singulariter receptum est, quod fœminæ nec in causis feudi nec aliorum recipiantur ad testimonium.

40 In materia appellationis ius commune seruari debet, nisi quod in magnis feudis pares curiæ, qui laudamentum vel iudicium fecerunt, vnà cum eo, qui pares curiæ iniquè iudicasse queritur ad præsentiam Imperatoris venire debeant. De executione breuiter tunc dicimus, quando actiones proposuerimus.

Coronis.

Vtrum in consuetudinibus feudalibus singulari iure receptum sit, quod actori incumbat probatio, reo defensio.

Hocipsum communiter placuit, videamus an verum sit, dubitandi causam suggerit cap. 33. §. Sacramentum, De consuetud. rect. feudi vbi textus inquit. Sacramentum actori vel reo ita demum datur, si aliquid pro eo sit quod iudicem moueat, aliàs actore nihil probante, qui conuenitur etiamsi nihil præstiterit, tamen absoluitur. Hinc est quod Sacramentum regulariter datur possidenti, si hoc visum fuerit,

d. §. sacramentum. Exemplum est in c. 26. §. inter filiam in fin. ibi electio iurisiurandi danda est, filiæ, scilicet cum domino litiganti, c. 41. in fin. princ. Similiter si controuertatur inter emptorem qui feudum à seniore emisset & vasallum, electio emptoris est veritatem iureiurando discernere, c. 51. §. si contentio De capitaneo &c. Idem dicendum est si controuersia sit inter dominũ & emptorem, domino in probatione deficiente sacramento emptoris possidentis finiatur, c. 41. §. fin. & ibi Beluis. De controuers. inter masc. & fœm. nisi magna pars quæ vasallus ibi tenet feudum sit, quo casu datur domino sacramentum d. c. 41. in fin. Sed quandoque petenti datur defensio d. vers. sacramentum. Exemplum est in d. c. 26. §. inter filiam, ibi electione danda agnatis, scilicet cum filia litigantibus. Sic quoq; si inter masculum & fœminam controuertatur magis creditur masculo d. c. 41. Et hoc est quod inquit d. c. 51. §. si contentio, electio propinqui erit discernere veritatem iureiurando. Ratio cur agnatus sit fauorabilior q̃; fœmina & dominus, descendit ex qualitate antiquæ possessionis L. pen. De condit. instit. L. indicia C. de rei vendic. Bald. in d. c. 41. n. fin. Deniq; quandoq; neutri neq; possidẽti neq; petenti datur defensio d. vers. sacramentum. Ex quib. & similib. iuris feudalis textibus luculenter apparet, vt à iudice sacramentum vel actori vel reo deferatur, omninò requiri quod iudicem moueat, vt vel possidenti vel petenti sacramentum deferat, c. 34. §. sacramentum, De consuet. rect. feud. Hæc ratio commendatur hoc argumento quòd non sit bonum vt veritas denegetur c. 23. in fin. De content. inter dom. & vasal. de inuest. feud. quod latius declaratur in c. 10. in fin. De content. inter dom. & fidelem. Hæc breuiter propter occasionem plenius & vberius deliberandi admonuisse sufficiat.

FINIS.

DISPVTATIO XI.

DE ACTIONIBVS FEVdalibus, ex c.8. §. rei autem. De inueſt. de re ali. fact. c. 43. De inueſt. inter vaſ. & al. de ben. c. 41. De contr. inter maſ. & fœm. c. 51. §. ſi contentio De capitan. qui curiam c. 4. §. ſimiliter, Si de inueſt. feud. c. 11. De pign. feud. dat. c. 26. §. ſi inter §. ſi facta, Si de feud. defuncti. c. 4. & 26. Si de inueſt. inter dom. & vaſ. con. vel lis oriatur, cum ſimilibus.

in qua

Præſide

CHRISTOPHORO VVENDINO J. V. D.

Reſpondebit

JOHANNES RHEM
Francofurtanus ad Mœnum.

ROSTOCHII
Typis Myliandrinis
ANNO
CIↃ IↃ. XIC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0145

Συνέχεια.

IN actuosis feudalium disceptationum controversiis non occurrit usurpatione hominum fertilior materia, quam ea, quæ actionum feudalium causas, naturam & euentum perscrutatur, Quarum tractationem vt feliciter & incipiamus & ad exitum perducamus, consultius arbitramur, vt actiones & effectus feudi, ex substantia, ex natura, & causis constituendi atque amittendi feudi, sponte sua è iusticia naturali descendentes perspicuè proponamus.

Thesis I.

VAsallus tanquam dominus potest feudum sibi quasi vindicare. In hac quasi vindicatione feudi requiruntur eadem, quæ in directa vindicatione desiderantur.

2 Cumq; eadem, quæ ad agendum proficiant quoq; ad excipiendum, potest vasallus ex hoc iure, si ab alio feudi nomine conueniatur, defensionem opponere.

3 Porrò certa, & amplissimi usus est vulgata iuris feudalis conclusio: Eum qui feudum dicit, hoc probare debere.

4 Ratio huius conclusionis est, quod feudum speciem seruitutis contineat: atquin seruitus non præsumitur, sed probanda est, idq; ideò, quod quælibet res ab initio præsumatur libera, & potius donatio præsumatur quam feudum.

5 Quod diximus potius allodiale præsumi aliquot exemplis declarabimus. Primum, si inter dominum & emptorem sit controuersia, puta, si dominus aduersus emptorem dicat esse feudum, hoc probare debet, domino in probatione deficiente sacramento emptoris finiatur.

6 Secundò si inter emptorem & vasallum controuersia oriatur, si emptor neget prædium esse de feudo vasallus qui dicit esse de feudo, hoc probare debet.

7 Tertiò si inter dominum & vasallum ex causa pignoris lis oriatur puta, dominus pro pecunia à vasallo accepta eidem obligauit quoddam prædium, postea miles feudum asserit, etsi hoc casu præsumatur feudale prædium, atq; ideò dominus probare debeat, quod vasallo pro pignore dedisset, attamen si vasallus dicat se inuestitum esse, idoneis testibus hoc probare debet nec datur ei defensio.

Cæte-

8 Cæterum casus quibus prædium præsumatur potius esse feudale vtiliter in memoria habemus. Primus est, si inter masculum et fœminam controuersia fuerit, masculo dicente hoc esse feudum, fœmina negante, hoc casu fœmina apertis probationibus demonstrando, quod sit allodium, ostendere debet non esse feudum.

9 Secundus, si inter filiam & agnatum de quodam prædio defuncti moueatur quæstio, illa allodium siue libellarium, hisce feudum asserentibus, autor feudalis respondet apud filiam possessionem interim collocandam esse.

10 Sed ad proprietatis causam quod spectat, hinc inde probationes desiderantur. Verum enimuero probationibus hinc inde deficientibus, per iusiurandum causa cognita decidetur, electione danda agnatis, quod iis hac in causa magis credatur.

11 Ratio cur filius & agnatus sit fauorabilior quam filia & dominus, descendit ex prima inuestitura, qua agnatis ius quæsitum est, maxime in prædio, quod proprie in feudum datur.

12 Tertius casus est, si inter vasallum &

Titium fuerit controuersia, puta, si Titius proprietatem totius vel partem, vel aliud quoddam ius sibi vendicauerit, causa per vasallum, etiam domino absente, quasi propria ad finem perducatur.

13 Quartus, si constet maiorem partem rei feudalem esse, quo casu præsumitur, quod & altera feudalis sit.

14 Sed si vasallus habeat inuestituram de castro et pertinentiis, bona confinia territorij nihilominus præsumuntur allodialia, nisi dominus probet esse de pertinentijs.

15 Quintus ex præstatione seruitiorum per 30. annos exhibitorum, præsumitur titulus vasallagij.

16 Sed si vasallus domino alias seruitia præstiterit, præsumitur ea præstitisse simpliciter, tanquam principi suo originario Als seinem Landesfürsten.

17 Et si vasallus seruitia, quæ longo tempore præstitit, postea denegauerit, tenetur demonstrare cuius causa seruitia præstiterit, alias præsumitur de toto patrimonio præstitisse. Hæc de controuersiis ex substantia feudi dependentibus.

18 *Frequentes quoq; occurrunt contentiones, vtrum sit verum & proprium feudum, an vero improprium vel solummodo habeat non propriam feudi naturam, veluti, vtrum sit feudum emptitium, Guardiæ & Gastaldiæ, vel vtrum sit feudum hac lege datum, & cui ipse dederit: vtrum sit feudum nouum vel antiquum: vtrum sit fœmineum vel hereditarium, & deniq; vtrum sit feudum ligium vel francum.*

19 *De his controuersiis generaliter sciendum, in dubio præsumptionem esse pro vasallo possidente, & asserente proprium esse feudum.*

20 *Exemplum de feudo Guardiæ & Gastadiæ extat huiusmodi. Vasallus prædium possidet pro feudo: Dominus contrà per Guardiam, vel Gastaldiæ iure se dedisse contendit: domini est probatio quod quasi Guardiam dederit.*

21 *Quod si dominus probauerit, ille qui tenet, domino debet restituere: nisi vasallus legitimè probauerit, se antè, vel postea quam in Guardiam castrum suscepisset, vel Gastaldi essent, à domino pro feudo inuestituram accepisse. Sed domino in probatione deficiente, tunc eius, qui possidet, erit defensio.*

22 *Aliud exemplum de fœmineo feudo textibus iuris feudalis expressum est: ex quibus constat, qui pactum speciale, de filiorum successione allegat, licere ei tenorem, si potest, sicut inuestituram probare.*

23 *Quod si in probatione defecerit, vel cessauerit, concedatur domino hoc denegare, iureiurando præstito. Ratio ibidem adjicitur, quod huiusmodi pactum sit præter communem feudi rationem.*

24 *Aliud quoque exemplum de nouo feudo extat, puta, si dominus nouum, agnati vero paternum feudum contendant, agnati in possessione feudi, de quo quæritur, constituendi sunt, quo facto, super principali quæstione cognoscendum est, illo generaliter obseruãdo, vt illi, qui nouum beneficium dicit, onus ꝓbationis incumbat.*

25 *Quod si vasallus fuerit in possessione medietatis, vel alicuius partis, vel cambium proprietatis nomine illius feudi habuerit, vel aliis iustis rationibus illud esse paternum probare potuerit, iure obtinebit. Si vero probare non potuerit, atq; ita vtroq; in probatione deficiente, electio iurisiurandi agnatis danda est, cum duodecim sacramentalibus.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0152

26 Quod adeò verum est, vt procedat, siue agnatus possideat, siue alienauerit partem feudi: sanè vtroq; casu vasallo incumbit probatio, quia si possidet duntaxat alteram partem, illa partis possessio arguit feudum esse paternum, quod si vasallus possidet vtramq; partem multò minus tenetur probare. Nunc de actionibus ex causis acquirendi feudum descendentibus.

27 Suprà dictum est, ex nuda promissione feudi non competere actionem, ad tradendam possessionem feudi, sed vt feudi possessionem efficaciter consequamur, requiritur vel certi nominis contractus, vel causa.

28. Certi nominis contractus, veluti stipulatio, vel emptio, causa, veluti donatio, permutatio, & demq; successio, de quibus breuiter dicemus.

29 Ex inuestitura abusiuè facta competit vasallo actio veluti ex solenni stipulatione.

30 Ad sustantiam huius actionis, primum ex parte actoris requiritur inuestitura abusiuo modo facta, ea quomodo, & quibus modis probetur dictum est suprà.

31 Postea ex parte rei requiritur, quod se obtulerit ad præstandum fidelitatis iuramentum, & semel atq; iterum reuerenter rogauerit dominum vt ei possessionem traderet.

32 Vtrumq; vasallus tanquam actor probare debet.

33 Natura huius actionis est, quod detur heredibus & in heredes.

34 Euentus huius actionis est, quod dominus cogatur rectè eum, qui inuestitus est, mittere in feudi possessionem, hoc est, omnimodò cogatur inuestitum in vacuam possessionem mittere, quod si differat omnem vtilitatem ei præstabit.

35 Inquit textus, vtilitatem præstabit, scilicet ratione moræ, & nihilominus possessionem feudi, de quo inuestituram fecit, tradere compellitur, nec præstando interesse vasallo liberatur.

36 Potest quoq; vasallus agere vt dominus proprietate priuetur.

37 Caterum si feudum pecunia interueniente comparatum sit, emptor potest actione empti ad consequendam possessionem feudi vti, quam

feliciter

felicer ad exitum perducendam, eadem requiruntur, quæ sub tit. ff. & C. de act. empt. tractantur.

38 *Idem dicimus si feudū ex simplici donatione vel permutatione ad nos pertinet, quibus casibus actione præscriptis verbis vtendū est. Nunc de vindicatione feudi ex causa successionis.*

39. *Filius & agnati ad quos feudum ex causa successionis spectat, feudum quasi paternum sibi vendicare possunt: quæ vindicatio procedit instituta petitione hereditatis. Quia & hereditatis petitio est vindicatio.*

40 *Porro in vindicatione feudi quasi paterni, eadem requiruntur quæ in petitione hereditatis, & sub tit. ff. & C. de hereditat. petit. latissimè pertractantur.*

Coronidis vice ex c. 45. An agnatus vel filius &c. quæritur.

Quamobrem iure feudali inter filium & agnatum recepta sit distinctio quod filius non possit, agnatus verò possit hereditatem sine beneficio repudiare, hoc est allodia à feudis separare?

Rationem distinctionis hanc esse existimamus, quod feudum à patre filio delatum sit quodammodò hereditarium, atquin constat absurdum esse si quis diceret in hereditario feudo

feudo bona feudalia ab allodialibus distingui posse cum hereditarium feudum sit pars hereditatis Isern. Aluar. Præpos. in c. 1. de eo qui sibi etç. Couarr. 18. resol. n. 3. vers. secundum & dubio caret filium abstinendo à paterna hereditate & patri & creditoribus iniuriam facere Bald. in d. c. 45. n. 6. Sed agnatus potius à communi parenti puta auo, vel proauo feudum accipere censetur text. notabilis in c. 14. §. pen. De feud. March. Diuersitatis ratio euidenter confirmatur ex eo quod agnatus non succedat in feudo nouo, sed tantum in antiquo c. 11. de succeß. fratrum.

Cæterum quod diximus filium non posse feudum ab allodio separare in quibusdam casibus non procedit. I. Si pater nihil in bonis habuerit & amplius feudum alienauerit Bel. inc. 1. §. Titius & ibi Laudensis Si de feud. defunct. Bal. in L. cum secundum in fin. C. de fideicomm. Iacobin. vers. 18. n. 4. II. Si filius patre adhuc viuente paternæ hereditati cum iuramento renunciauerit c. 26. §. in generali. Si de feud. defuncti Bal. in auth. in succeßione C. de suis & leg. hered. III Si nepos se patris heredem negauerit potest in feudo succedere Bald. d. c. 45. n. 6. de qua re latius vide Iacobinum d. vers. 18. n. 11.

DISPVTATIO XII.
ET VLTIMA

DE IVRE PROTIMISEOS ET REVOCATORIA FEVDI, Item actione commissi feudi.

Ex c. 3. §. sed etiam, Per quos fiat inuesti. c. 9. §. porrò. Qualiter olim poterat feud. alien. c. 26. §. Titius si de feudo defuncti c. 55. De prohibita feud. alien. c. 13. de alien. feud. cum similibus &c.

in qua

Præside

CHRISTOPHORO VVENDINO J. V. D.

Respondebit

JACOBVS HEIN
Saxo.

ROSTOCHII
Stephanus Myliander excudebat.
ANNO
CIↃ. IↃ. XIC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0157

Συνέχεια.

SVperiori disputatione actiones quæ ex substantia, natura, & causis constituendi feudi descendunt, disquisiuimus, nunc vt cognitionem consuetudinum feudalium feliciter ad exitum perducamus vltimo loco actiones ex alienatione & iure commissi feudi emergentes, alioquin latissimè dissipatas perspicua breuitate ita contrahemus, vt absq; vllo negotio & difficultate quilibet expeditam earum notitiam consequatur.

Thesis I.

PRoximior agnatus feudum alienatum aut ἀναμήσεως, aut successionis iure recuperare potest, sed vt hanc duplicem feudi alienati recuperandi rationem penitius introspicianus & exactius dignoscamus, causam & originem vtriusq; iuris perpetuò in memoria habere debemus.

2 Causa iuris ἀναμήσεως originem trahit ex communione sanguinis vel consortio bonorum immobilium.

3 Iuris succedendi causa dependet ex prima inuestitura, etenim hoc iure nemo vti potest

nisi cui succedendi conditio parta est, quæ si nec dum extiterit, expectet vasallus donec succedendi ordo illum tangat, quia tunc ei hoc remedium incipit competere.

4 Jus προτιμήσεως dicitur à verbo πιμάω hoc est honorem exhibeo, hinc προτιμάω religiosè præfero, quo verbo Aristoteles pulcrè vsus est vbi contra Platonem præceptorem suum de ideis differens inquit Ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

5 Hoc ius prælationis ex antiquitate & æquitate plurimùm commendatur, Quippe ante Friderici Imperatoris in occidente & Romani senioris in oriente promulgatam constitutionem, hoc ius non tantum diuino, sed et ciuili iure tàm scripto quàm non scripto passim receptum fuit. Nos more solito huius remedij requisita fideliter enumerando materiam ab alijs diffusè tractatam breuiter & methodicè comprehendemus.

6 Vt quis hoc iure vti possit requiritur primò quòd sit proximior agnatus.

7 Illud controuersum est, vtrum in iure προτιμήσεως locum habeat edictum successorium,

Mat-

Matthæus de Afflictis, Sonsbeccius, Oſaſcus locum habere exiſtimant, quod alij negant, ſed tunc demum obtinere putant ſi proximior agnatus, qui conſentiendo ius ſuum amiſit poſtea decedat, quo caſu ſequentem agnatum quamprimum ſucceſſionis ordo ad ipſum peruenerit, alienationem reuocare poſſe.

8 Nos exiſtimamus edictum ſucceſſorium non in feudis, ſed in alijs prædis locum habere.

9 Rationem diuerſitatis ſuggerit diſpoſitio iuris feudalis, quod in feudis competat proximioribus agnatis ius reuocandi ex iure ſucceſſionis, ſecus eſt in allodijs.

10 Quippe huius beneficij, ſi in feudis remotiori concederetur, admodum rarus, et penè nullus vſus foret, cum remotior hoc remedio vtens magis damno, quam commodo afficeretur, dum mortuo alienatore feudum magno precio redemptum ſine precio cogeretur proximiori reſtituere.

11 Secundò requiritur quòd vaſallus titulo oneroſo alteri feudum conceſſerit, quod ſi titulo lucratiuo ius προλήψεως locum non habet.

12 Tertiò requiritur vt proximior precium

refundat, & imprimis hoc iure feudum volens recuperare, tenetur precium offerre, & quidem idem precium quod emptor dedit vel promisit.

13 Nam etsi animosi licitatoris æstimatio non sit admittenda, quando scilicet calor licitandi vltra modum solitæ emptionis extraneum vel remotiorem inflauerit, attamen beneficium prælationis proximiori agnato indultum non debet venditori damnum inferre.

14 Neq; distinguendum arbitramur vtrum venditor filios habeat nec ne, nam vtroque casu emptor precium refundere debet, dummodo venditor superstes sit.

15 Quæ de refundenda eiusdem precij quantitate diximus vera sunt, nisi precium dolosè in fraudem proximioris agnati fuerit auctum, quo casu fraudulenta æstimatio ad veram rei æstimationem reducenda est.

16 Et quamuis calor licitantis admittatur si fideiussores idoneos & cautionem offerre paratus sit, attamen proximior agnatus debet precium refundere, neque sufficit pignora vel fideiussores dare.

Quar-

17 Quartò requiritur vt proximior agnatus tantundem precij offerat intra annum, à tempore habiti & recogniti contractus computandum.

18 A tempore habiti contractus ideò quia ab eo tempore potuit prohibere.

19 A tempore recogniti contractus, hoc est ex eo tempore quo resciuit alienationis contractum initum esse, quia vnus annus ignoranti nunquam currere solet.

20 Amplius probè & diligenter notandum est prædictum annispacium computari ex eo tempore quo agnatus omnium qualitatum præcipuè verò quantitatis precij certam noticiam habuit.

21 Sed etsi hic annus non pupillo, attamen minori currit.

22 Denique sciendum est etsi ignorantia habiti contractus vasallum excusat, attamen si agnatus triginta annorum spacio ignorauerit, atque ideò factam alienationem non reuocauerit, actionem nihilominus tolli. Nunc defensiones emptoris rei conuenti subijciemus.

Si

23 *Si proximior agnatus à venditore facta precij & emptoris designatione requisitus animi sui sententiam explicauerit, quod emere nolit, reus conuentus iustam defensionem habet.*

24 *Similiter si proximior agnatus alienationi consensit eo ipso, quod consensit alienationi, ius* προτιμήσεως *amittit, quia suo consensu quodammodo alienare censetur.*

25 *Cæterum tenetur reus consensum alienandi in remotiorem vel extraneum probare. Probatur autem verbis vel facto proximioris agnati, veluti si emptori persuasisset vt emeret, vel se euictionem præstiturum spopondisset.*

26 *De eo non immeritò dubitari potest, vtrum consensus vnius ex proximioribus agnatis præiudicet cæteris, qui sunt eiusdem gradus? De hac re extant diuersa celeberrimorum nostri temporis Iurisconsultorum responsa, Nos de iure verius existimamus quod pro sua parte reuocare possit, Hæc de iure* προτιμήσεως, *Nunc de reuocatoria agnatorum actione ex causa successionis & primæ inuestituræ.*

27 *Causa huius actionis est prima inuestitura, ex qua ius vasalli qui feudum alienauit morte ipsi-*

te ipsius soluitur & reuertitur ad proximiorem agnatum.

28 Ad substantiam huius remedij exigitur quod ius alienantis penitus sit extinctum hoc est quod Titius qui alienauit sit mortuus, & quod actor sit proximior agnatus.

29 Sed illud non requiritur vt agnatus precium reddat, quia feudum successionis iure ad agnatum peruenit.

30 Cæterum admodum lubrica, ardua & difficilis quæstio est, vtrum actio reuocatoria filijs competat? secundum communiter ab interpretibus receptam sententiam actio reuocatoria filijs competit, & licet plurimi contrarium statuant, attamen priorem sententiam quod filius feudum à patre alienatum mortuo patre reuocare possit, de iure veriorem defendemus.

31 Sed hanc sententiam ita veram existimamus, vt procedat dumtaxat in feudo paterno vel antiquo, non etiam in nouo.

32 Ratio diuersitatis est quia in feudo antiquo ius filijs quæsitum transitum fecit in linea descendentium, atq; ita ius quod descendentibus quæsitum est, pacto domini aufferri non

 potest

potest, sed vel inuitus cogitur eos inuestire.

33 Verum noui feudi successio quæ filijs in casum mortis erat competitura, ideò sublata est, quia feudum anteq̃ is casus extitit, communicato domini & patris consensu alienatum est, atquin constat ius ante ademptum quam eius conditio euenit non esse eius efficaciæ, quo minus dominus & pater mutata voluntate ius feudi alteri possint cedere.

34 Neque ignorandum est in antiquo feudo inter filios & agnatos eam esse differentiam quod filij non possint, retento feudo hereditatem repudiare, sed agnati possint, quo argumento aliqui vtuntur quasi filius nec in antiquo feudo reuocatoria vti possit, sed verius est quod possit adhibita illa differentia, de qua diximus.

35 Sed ius προτιμήσεως filijs non competit, siue feudum sit nouum siue antiquum.

36 Ratio diuersitatis quod filijs competat actio reuocatoria, sed ius προτιμήσεως eis non competit, oritur ex totius rei æquitate puta ex honore parentum, & iure antiqui feudi, ex quibus apparet mirum esse aliud sentientes adeò leuibus

& ex-

& extraneis argumentis modò huc modò illuc dimoueri, de quibus alias nobis plenius dicendum est. Hactenus de vasallo qui feudum adhibito domini consensu alienauit, nunc de condictione causa data causa non secuta, siue de repetitione feudi ex causa delicti & seruitij denegati breuiter dicemus.

37 Si quis ex culpis ijs vel causis conuictus fuerit, quos milites vsi sunt nominare quando fidelitatem faciunt, vel si dominis suis deseruire voluerint ex constitutione Lotharij Imperatoris condictio causa data proponitur ad repetendum feudum, ex quo non serunt domino.

38 Quod si vasallus sine domini consensu alienauerit potest dominus cum emptore directa vindicatione agere, & si emptor bona fide feudum comparauit de precio contra venditorem ex empto actione aget, sed malæfidei emptor nullam habet actionem quia imputet sibi quod sciens emit rem alienam.

39 Causa cur feudum quod vasallus irrequisito domini consensu alienauit ad dominum pertineat hæc est: quod dominum contemnere videatur.

40 Idq; generaliter procedit si vasallus in dominum peccauerit, vt hanc saltem habeat suæ iniuriæ vltionem, si alià's grauiter deliquerit feudum ad proximos pertinet, atq; hæc distinctio, posteaquam hac de re sæpè quæsitum fuit, tàm ratione quàm moribus comprobata est, atque ita frequenter pronunciatum constat.

Coronidis vice quæritur quæ sit vera sententia c. 26. §. Titius Si de feudo defuncti

Sententia hæc est: Titius filios masculos non habens partem suam feudi Seio remotiori agnato accepto precio concessit, hoc casu Sempronius proximior agnatus duplici via partem illius feudi recuperare potest, vel iure successionis ex prima inuestitura competente, mortuo scilicet Titio & nullo dato precio, vel iure προπμήσεως viuo Titio, sed reddito precio, quod si Titius filios proprios haberet proximior agnatus, non etiam filius, προπμήσεως iure vti poterit.

Pluri-

Plurimi ex interpretibus statuunt filijs non competere reuocatoriam feudi, huiusmodi adinuenta diuersitatis ratione, Agnatus (inquiunt) non habet feudum neque causam feudi ab vltimo defuncto sed ex inuestitura primi acquirentis c. 14. §. pen. De feud. March. atq; ita agnatus reuocatoria rectè poterit vti, sed filius feudum non tam à primo acquirente, quam à patre habet, quod vel ex eo (inquiunt) apparet quia filius patruum in successione feudi excludit, & quia filius etiam solius feudi nomine subiacet oneribus aris alieni, neque potest, quemadmodum agnati possunt, feudum ab hereditate separare, etiam quando nihil neque inter viuos neque in vltima voluntate dispositum fuit, c. 45. An agnatus vel filius, Quanto magis tenebitur filius alienatione à patre nuncupatim facta. Pro hac opinione compluria & si rectius atq; accuratius inspiciantur euidenter aliena adseruntur, Quamobrē supradicta diuersitatis ratione non obstante de iure verius est quod filius feudum à patre alienatum mortuo patre reuocare possit per text. d. c. 26. §. Titius, cuius principium diserte loquitur de actione reuocatoria feudi, & notabiliter ibi ponit casum, quo Titius filios masculos non habet atque concludit, Sempronium proximiorem agnatum feudum nullo dato precio, atq; ita proposita reuocatoria actione recuperare posse. Ergo si Titius filijs masculis relictis decedat omninò dicendum est iure dantis morte resoluto, ius accipientis quoque resolutum, & filio feudum apertum esse. Hac illatio confirmatur hoc argumento, quod totum hoc c. Titius, proponit differentiam reuocatoriæ actionis & iuris περιμήσεως Atquin constat argumentum à contrario sensu indubitatè procedere in textibus differentiam diuersorum vtrinque reponentibus, indicio sunt lib. 9. Differentiarum Modestini. quod qui hoc loci

non admittunt fateantur necesse est, autorem feudalem distinguendo ius reuocatoriæ actionis à iure προλήψεως in reuocatoria frustra posuisse: Titius filios masculos non habens, similiter in iure προλήψεως sine causa posuisse: quod si Titius filios proprios haberet, Superioribus adstipulatur quod Sempronius in d. c. Titius deficientibus filijs masculis dicatur proximior agnatus, & alias notum est quod filius sit proximior agnatus L. filius 12. De suis & legit. hered. L. vlt. §. proximiores De gradibus, Nec moueri debemus quod adfertur in iure feudali agnatorum appellatione non venire filios c. 45. An agnatus vel filius cum similibus, Quia hoc perpetuum non est d. c. Titius & c. 39. vers. nec in filiam ibi agnatis non consentientibus de alienat. patern. feud. iuncto cap. 8. §. final. De suc. feud. cap. 11. ibi fuit eius parentis qui illius fuit agnationis communis, &c. Nec ad rem pertinet quod filij absolutè dicuntur heredes cap. 13. §. etsi clientulus De alien. feud. quia eam ipsam ob causam quod filij dicuntur heredes feudum multo minus ijs inuitis auferri potest d. cap. 45. ibi quo scilicet vtroque & hereditate & feudo repudiato ad agnatos si paternum sit, pertinebit, nota quod feudum tunc demum ad agnatos pertineat quando filij idipsum repudiauerunt, Hoc amplius probatur per c. 18. §. fin. Apud quem vel quos, ibi & ipse & heres eius sine herede decesserit, ex quibus verbis, vel heres eius, perspicuè intelligimus si vasallus feudum alienauerit & heres supersit quod feudum possit reuocare, Ad superiorem inter agnatos & filios distinctionem quod attinet admonendi sumus, quod ex parte filiorum non satis efficax sed lunatica sit, quæ prima facie splendet, sed re non calefacit, Nec enim sequitur, in feudi successione æris alieni obligatio comitatur filium, neque potest filius

feudum

feudum ab hereditate separare, Ergo filius non potest feudum antiquum à patre alienatum reuocare, Sed hoc dumtaxat sequitur. Ergo filius non potest aliter nisi agnito & suscepto onere hereditario feudum à patre alienatum reuocare, agnati verò possunt feudum ab hereditate separare, atq; ita quod diximus filio reuocatoriam actionem competere procedit solummodo in feudo antiquo, non etiam in nouo, Ratio diuersitatis perspicua hæc est quod in feudo antiquo ius filiis quæsitum transitum fecerit in linea descendentium, atq; ita ius quod descendentibus ab auo primùm inuestito quæsitum est pacto domini, & patris auferri non potest faciunt quæ pulcrè Baldus in c. 1 n. 6. De feudo Marchiæ, secus est in feudo nouo quemadmodum in thesi 31. & 32. diximus, atq; hæc distinctio probatur per d. c. 14. §. pen. De feud. Marchiæ. & notum est quod iura feudalia quæ reuocatoriam actionem tractant nominatim de paterno & antiquo loquantur d. c. Titius d. c. 1. De alien. pater. feud. cum similibus. Ex quibus intelligimus æs alienum à patre contractum onerare, sed non adimere ius ab auo quæsitum. Verum de his omnibus & singulis in superioribus duodecim feudalibus disputationibus aliquanto nudius atq; simplicius propositis, adiutore Optimo Maximo aliàs vberius & neruosius tractabimus.

τέλος.

Gloria — & Laus sit æterno & viuo Deo, cuius solius benignitate hanc feudalem periochen feliciter ad exitum — perduximus.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744339716/phys_0176

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1744339716/phys_0177


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1744339716/phys_0178

raliter procedit si vasallus in domi uerit, vt hanc saltem habeat suæ i nem, si aliàs grauiter delique- rit fe roximos pertinet, atq; hæc di- stinct uam hac de re sæpè quæsitum fuit, e quàm moribus comprobata est, frequenter pronunciatum con- stat.

C vice quæritur quæ sit
ntia c. 26. §. Titius Si de
feudo defuncti

S hæc est: Titius filios masculos non h em suam feudi Seio remotiori agna recio concessit, hoc casu Sem- pron or agnatus duplici via partem illius erare potest, vel iure successi- onis uestitura competente, mortuo scilic nullo dato precio, vel iure προτιμ Titio, sed reddito precio, quod si Ti prios haberet proximior agna- tus, n filius, προτιμήσεως iure vti po- terit.

Pluri-